

Foll. 20.423

20.423

PR OPOSITIONES  
EX UNIVERSA PHILOSOPHIA

Q U A S

ASSEREBAT, VINDICABATQUE

D. ZEPHYRINUS PELLIZER

in Collegio Seminarioque Academiae Orcelensis


Togatus Philosophiae Auditor

P R A E S I D E

D. MARIANO PEREA

Presbyt. Sac. Theol. Dr. & in eodem Coll. Sem.

Philos. Antecessore.




IN TEMPLO SS. VV. IUSTAE, ET RUFFINAE.

Die mensis

annii M.DCC.LXXII.

Valentiae: In Typographia Benedicti Monfort, ann. 1772.

MS. 200. Q. 1. 1. 1. 1.



PERILLUSTRI,  
ORNATISSIMOQUE VIRO  
D.D. PETRO CARO,  
MAZA DE LIZANA,  
FONTES, CARRILLO DE ALBORNOZ,  
CORNEL, ET LUNA DE ARAGON,

DO-

DOMINO, AC BARONI  
OPPIDORUM MOXENTIS,  
NOVELDAE, MOLARIS ARCIS, DOMUS,  
ET PRAEDIORUM MAZAE:  
MARCHIONI A ROMANA,  
EQUITI MONTESIANO,  
ac D. Georgii de Alfama, Tribuno Castrorum,  
caet. caet. caet.

PATRONO PERQUAM MUNIFICO  
*ZEPHYRINUS PELLIZER*  
P. O. P.

**N**ec gratius quidquam, nec iucundius  
mihi accidere poterat, Vir Perillustris, quàm  
id,

id , quod a suscepto Philosophiae curriculo  
vehementer optaveram , ut Theses publicè a  
me vindicandas N omini TUO Splendidissi-  
mo inscriptas , dicatasque in lucem prodire,  
patereris. Quem enim aptius Philosophiae  
meae Auspicem conciliare , aut Patronum  
rogare potuisse quam TE? Virum , cui ut  
praeteream generis splendorem , avitam for-  
titudinem belli , pacisque stemmata , qui-  
bus TIBI summa a Maioribus ingenerata  
gloria , singulari Dei munere concessas mi-  
ramur eximias animi dotes , ingenium acre  
in .omnia humanitatis , & elegantiae studia  
quàm devexum, iudicium subactissimum, mi-  
rificam rerum cognitionem. Per Mathema-  
ticas Artes , delicias tuas , cum incesseris ple-  
no gradu , qui fieri poterit , ut non in peni-  
tissima naturae vestigatione longè , latèque  
progressus sis , Physicusque habearis numeris  
omnibus absolutus? Suscepta insuper a TE

vitae disciplina , morum integritas , ardens  
Religionis studium , perspecta in Regem fi-  
des , in Patriam amor , in amplissimis ob-  
eundis officiis diligentia, honesta existimatio-  
nis , gloriae , dignitatisque tuendae cura , so-  
licitudo in liberis iis artibus informandis , qui-  
bus ad elegantiae , virtutisque Paternae glo-  
riam adsurgant , alacritas in doctorum ho-  
minum studiis propagandis , atque fovendis ,  
caeterarum tandem virtutum , queis ad invi-  
diam fulges , concentus *TE* praestantioris  
Ethices studiosum in primis exhibent , atque  
cultorem. Quae generosi animi *TUI* ar-  
gumenta ita sunt comperta omnibus , at-  
que testata , ut ea mihi scribenti magis in-  
terdum veniat in mentem vereri , ne pro-  
pter ingenii mei tenuitatem imminuta , quām  
dubitare , an propter benevolentiae studium  
amplificata esse videantur. Cum enim iam  
pridem totus in aere tuo sim , quippe qui ,


ut

ut taceam in domum meam collata iugiter beneficia, *TE* potissimum auctore, nobilissima Seminarii huius Toga donatus sim, qui iacens in carissimi Parentis moerore & luctu suavissimis *TUIS* litteris erectus sim, qui certissimis aliis benevolentiae *TUAE* argumentis postmodum recreatus sim, qui denique tantum *TIBI* debeam, quantum, ut cum Tullio loquar, hominem homini debere, vix fas est, ni oblatam fidei, & observantiae testandae adversum *TE* meae occasionem arriperem, nae iure mortaliū omnium audi rem ingratissimus. Ad haec maxima mihi sub *TUIS* auspiciis & gloria paritur, & gratia, quam ampliorem promereri discupio, ut cum *TIBI* hactenus obstrictissimus vixerim, vivam dehinc perquam obstrictior. Haec autem non eo consilio abs me commemorari putas, ut aures obtundam *TUAS*, petitioni semper intentas, nunquam laudi, sed ut audaciam de-

pre-


precer , patiarisque ad *TE* Positiones istas ad-  
volare , ex quarum tenuitate nolis , obsecro ,  
spectare animum in *TE* meum , quem si *TIBI*  
probari , cognovero , tum demum videbor  
votorum meorum consecutus apicem , omnes-  
que exeram ingenii nervulos , ut posthac am-  
plissimis *TUIS* de me promeritis respondeam  
officiosius. Interea Deum Immortalem vene-  
ror , ut *TE* , *TUA* fortunet , *TE*que Regi ,  
Patriae , Litteris , Familiae Splendidissimae ,  
mihi denique quàm diutissimè servet incola-  
mem. E Collegio Seminarioque Orcelensi  
pridie Kalendas Iun. MDCCCLXXII.

PRO-



# PRODROMUS PHILOSOPHICUS.

I.



UI modò Philosophi, Sapientes olim, *Nomen*, & teste Tullio, nominabantur, idque *natura Philosophorum* nomen usque ad Pythagorae *losophiae* manavit aetatem, qui primus omnium Philosoph. scilicet Sapientiae studiosus, modestiae causa vocari, censerique voluit. Facile constat inter omnes, non eos modo Philosophos a Graecis adpellatos, qui rerum naturam studiosè intuerentur (tametsi ea nota Philosophis semper fuit insignis) sed Poetas etiam, Sophistas, Rhetoras, Theologos, & Eruditos quosque. Apud gentes alias aliis fuere nominibus adpellati. Babilonii Chaldaeos, Persae Magos, Indi Brachmanes, & Gymnosophistas, AEgypti Prophetas, Arabes fortasse Zabios, Galli Druidas nominabant. Hispani vero Sapientes suos quo nomine donarint, coniicere non sinunt nos deletae, ac funditus dissipatae reliquiae linguae nostrorum Civium antiquissimae. Magnificam Sapientis effigiem expressit Aristoteles Metaph. Lib. I. Cap. II. Nos vero huic caeterisque, amplissimis licet definitionibus, quibus Plato, Isocrates, Tullius, aliique plures Philosophiae dignitatem complexi sunt, eam praeferendam putamus, qua dicitur: *Cognitio veri & boni*

A

ni

*ni derivata ex recta ratione, & ad veram felicitatem comparata.*

II. Nihil non augustum undique Philosophia ex-  
*Dignitas, hibet. Sive enim praestantiam species, videoas illam a*  
*& origo pluribus vocari Coeleste munus; sive quam afferat re-*  
*Philosoph. bus humanis utilitatem, ab aliis intelligas, tantam iu-*  
*dicari, ut propterea dicatur inventum Deorum; si*  
*veram illius originem animo repetere, velis, disces,*  
*auctore Deo Dei donum ab initio rerum fuisse Philo-*  
*sophiam. Scilicet caepit haec non infans, sed adulta,*  
*quum Dei manu Adami animo insculpta fuit, atque*  
*una cum humano genere ab eodem & Parente, & Ma-*  
*gistro propagata. Unde non audiendi qui Graecos Phi-*  
*losophiae Institutores putant, neque ferendus Criticus*  
*ille Philosophiae Historicus Bruckerus, qui ius Phi-*  
*losophicae Civitatis ad normam, & leges Graecorum*  
*exigens praecipiti iudicio, omnem Philosophiam &*  
*Adamo, & antiquissimis Patriarchis, & Salomoni,*  
*&, quod facinus Capitale est, Iesu-Christo Servatori*  
*nostro temerè, & inclementer eripuit.*

III. Praeclara haec ars una omnium fortunae lu-  
*Iactura, & dibria, ac vicissitudines experta est. Initio florens,*  
*institutio languens postmodùm, tandem hominum inertia iacuit.*  
*Philosoph. Consecutis temporibus studio maximorum virorum,*  
*Graecis praesertim manum eidem porrigentibus, ca-*  
*put extulit, ab hisque in dies avidius exculta, ibidem*  
*radices egit, quo factum est, ut Graecia hortus Phi-*  
*losophiae esset feracissimus. Graecanicae Philosophiae*  
*ratio divisa est in partes tres, Fabulosam, Civilem,*  
*Artificiosam. Haec a locis Ionica, & Italica dicta,*  
*plures aluit familias, quae apud Historicos Philo-*  
*phiae utramque paginam faciunt, sed quas brevitatis*  
*cupidi praetermittimus. Illius deinceps studium longè,*  
*latèque pervagatum, tūm maximè effervescebat, quum*

Deus

Deus ter Maximus, mortalium saluti reparanda, mortalem naturam dignatus est induere. Summus hic Ecclesiae Magister Apostolos divinorem Philosophiam edocuit, qui a profana illa eò vehementius abhorre, quò pleniora insanientis, verborum divitis, factorum inanis Philosophiae Scripta ab Scholis Ethnicorum profluere, eo tempore videbant. Ecclesia tamen II. Saeculo Viros in Philosophia versatos non sine laude, & commodo vidit, qui extorquentes arma ab hostium manibus, Philosophiam saecularem propter eloquii venustatem, & membrorum pulchritudinem de ancilla, atque captiva fecere Israelitidem.

IV. Verùm secunda haec fors non admodùm diuturna Philosophiae fuit. Saevissima ei postmodum inflcta plaga. Romani quippe Graeciae potiti, captis Athenis, velut arcem Philosophiae expugnavere. Gothica barbaries in Europam irruens, barbarem fecit Philosophiam, quae necessariò iacuit eodem labefactata impetu, quo cecidit Romanorum Imperium. Tandem adeò caepit in peius ruere post VI. Ecclesiae Saeculum, ut nondum sit in Oriente recreata; in Occidente verò cum ad Saec. XII. iacuisset, ea tempestate e pulvere excitari caepta est, quum fuit in Coetus Scholasticos vocata; sed ita ut recto non steterit talo, usque eo dum litterae fuere in Europa restitutae Saeculo sextodecimo. Veteres tum Philosophi fordibus purgati, novoque induti amictu, exedras occuparunt. Nulla etiam fuit Europae tam exculta natio, quae ex eo tempore non uteretur licentia, vel libertate philosophandi. Iacta fuere postmodum Empiricae Philosophiae semina, quae in latissimam messem tractim excrescunt. Novae insuper editae, illustrataeque hypotheses, itinera doctrinae causa suscepta, institutae Academiae, aucta critice maximum naturalis scientiae stu-

dio decus , atque incrementum adulere. Sed in hac fausta reparatione Philosophiae varios etiam casus, varia discrimina mirari licet nobis , potius quām referre , imo dolere oborta incommoda , invecta vitia. Namque ubi messis illa in horrea litteraria , id est in Academias purganda coniicitur , nedum avenas steriles , sed infelix etiam lolium tritico succrevisse compierimus , dum Philosophorum plerosque novitatis illicum , propria extollendi studium , atque effrenis opinandi licentia saepissimè transversos egit. Verum hac super re fortasse nimis.

*De eligendo Syste-  
mate.*

V. Age vero ostendamus id , quod instituti caput est , ac ratio postulat , quodnam scilicet philosophandi genus amplectendum putemus. Difficile admodūm est , in tanta varietate ac inconstantia , quae hodiernas Scholas torquet , ea de re quidquam sine aliorum morsibus pronunciare. Scilicet arripuit hic tumor aetatem nostram , ut iusto maiora omnia pervelimus , quo tacti Cachoetes Philosophi Noviores , alienas invaserunt sedes , id quod iure viri in scholaſtico pulvere exercitatiſſimi conqueruntur. Nos suum cuique profesiōni modum dantes , adlaborabimus , ut Philosophia fines agnoscat suos. Nihil igitur aliorum iudicium , ac reprehensionem extimescentes , palam adferimus , Aristoteleum Scholae Systema in plerisque retinendum , iis praesertim qui ad Theologicas Disciplinas appellunt animum. Ast , inquies , quidnam rei systema dicimus? Doctrinam via , ac ratione conclusam , & cognitiones ad quaedam principia exactas.

VI. De Scriptis vero Aristotelis , quorum nonnulla invida vetustas nobis abstulit , oportet pauca prae- libari. Atque illa quidem iam dudum habet & laudatores eximios , & accusatores molestos. In vulgus ea prodiisse corrupta , lacerata , situ , & squalore confe-  
cta,

Etiam, uno ore fremunt Critici tantum non omnes. Sed  
 in historia eorum iudicium desideramus incorruptius.  
 Fatemur vero cum Nunnesio, erudito iuxta ac dili-  
 genti Aristotelis Illustratore, & Vindice, illum singu-  
 lari verborum proprietate adeo Philosophiam dicendo  
 obscurasse, ut facilius sit oraculi quam illius senten-  
 tiam divinare. Itaque amamus Aristotelem, non quem  
 sibi finxere otiosi Scholae homines aridum, pugnacis-  
 simum, eschino asperiorem, perpetuòque de lana ca-  
 prina differentem, sed quem exponendis Christiano-  
 rum Oraculis infervire coegit D. Thomas, quem Cla-  
 rissimi Hispani auctores Saec. XVI. vere aureo, alii-  
 que aetate nostra exquisita doctrina ornarunt, locu-  
 pletarunt. Verum non ita amamus, ut ab eo ne latum,  
 quod aiunt, unguem, discedamus. Quia in re eos aequè  
 peccare sentimus, qui in Aristotelis doctrinam lymphati  
 debacchantur, & qui eam velut sacram anchoram Chri-  
 stianae Religionis, ipsumque Aristotelem quasi Deum  
 quemdam Philosophiae colunt. Denique plenam, ubi-  
 rem, eruditam philosophandi rationem, qualis arridet  
 Iunioribus emunctissimarum narium Philosophis, am-  
 plectendam ducimus, ne posthac rusticos, & imperi-  
 tos nos tertio quoque verbo crepent. Effrenem vero,  
 atque insanientem in iis maximè, quae ad Religionem  
 exspectant, quaecumque libuerit opinandi licentiam,  
 quam ab auctoritate Divina libertatem appellant, tan-  
 quam turpisimum philosophicae libertatis abusum,  
 omnino reiicimus, atque execramur. Haec de Philo-  
 sophia in universum praefari libuit. Reliquum est ut  
 vulgarem illam, & a Maioribus acceptam, Philo-  
 phiae partitionem in Logicam, Physicam, Metaphy-  
 sicam, Ethicam, retinentes, prioris Theses adgre-  
 diamur.

LO-

# LOGICA.

*Notio Logicae.*

VII. **P**ars est Philosophiae valdè nobilis, quae per omnes sapientiae partes manat, & funditur. Eam Tullius dixit *Artem veri, & falsi disceptatricem, & iudicem*. Maximis praeconiis a Veteribus celebrata est, cuius Instaurator fertur Zeno Eleates, Expolitor Aristoteles, Cultores avidissimi Megarici, Stoici, Epicurei. Eamdem novis luminibus ornarunt Recentiores. Finis Logicae, quo nullus esse potest neque utilior, neque magis humanae vitae necessarius, eò tendit, ut humanae mentis vitia, quoad eius fieri possit, caveantur. Officium Logici postulat, ut rem definiat, genera dispertiat, sequentia adiungat, perfecta concludat, vera, & falsa dijudicet, via, & ratione progrediatur. Partes Logicae notiores sunt, quàm ut nobis indigeant nomenclatoribus. Facultas haec, tametsi Rhetoricae finitima videatur, differt quidem materia, officio, fine, ac differendi modo.

*Affectiones Logicae.*

VIII. Iam vero Logicae affectiones, seu dotes atrectemus cursim qua in parte retractanda magnum dedere strepitum Scholastici rigidiores. Igitur Logica, & ipsa docens, scientia, ac virtus mentis, non sapientia, non prudentia, si restrictè loquimur, est. An quoque ars? En pugnam, si Scholasticis credis triobolariis, Actiaca graviorem, sin aliis, putam logomachiam, quam dirimere, conabimur, in certamine. Eadem Theoretica, sive speculatrix est, practicis artibus quadantenus similis. Illius utilitas in omni genere eruditionis plane admiranda, quippe quae ad severiora studia viam sternit, caeterasque disciplinas feliciter apiscendas. Eius cognitionem in principiis tetram, aspernabilem, insuavemque, dehinc vero plus nimio

fua-

suavem, cùm experimento didicimus, tum testimonio A. Gellii. Is, si quam olim Sebastianus Foxius, Peripateticus Nostras politissimus, horrificis portentis foedatam dolebat, Dialecticam agnovisset, non in principiis tantùm atque insuavem, sed omni ex parte hispidissimam, absinthioque amariorem adpellasset.

**IX.** Ventum ad materiam Logicae, quam Schola obiectum nominat, dividitque in *materiale*, & *formale*, *remotum*, *proximum*, *caet.* Qui voces, ad artem logicam exactas, veram huius materiam arbitrantur, exiguum illi pretium nobis videntur statuere. Mentis conceptus ignobilior materia sunt, minusve praecipua. Primariam censemus res quaslibet cognitas, quae excipere natae sint formam artis. Hanc vero quamnam adpellabimus? Exoritur hinc seges quaestionum lepidissimarum, de quibus velut de vita & capite ab Scholasticis dimicatum est. Nolumus his cartas maculare nostras. E suggestu in proclivi erit ostendere, quid Maioribus nostris circa ingeniosam illam fictionem enticuli rationis arriserit. Ad utiliora pergamus.

**X.** Cum Logica rationem tradat inveniendae, proponendaeque veritatis, & huic muneri facultate, actione, signo, seu voce praelucente sit opus; facile patet, doceri illam non posse, nisi ea omnia optimè perspecta, cognitaque habeantur. Igitur facultas ad veritatem cognoscendam idonea mens est. Namque egregiis pollet operationibus, quibus genuinas rerum ideas sibi comparet, & praeiudicia evellat animo. Atque operationes illae tres tantùm, non plures sunt, quae sanè disputatio non otiosa est, sed utilissima, imo totius Logicae fundamentum. Intellectus quum primò rem simplici idea intuetur, percipere, cum ideas aptè aiendo, aut negando coniungit; enunciare, seu iudicare, dum tertiam ex aliis colligit, ratiocinari, dici-

*Materia  
Logicae.*

tur.

tur. Neque tamen ideae omnes ad intellectum referuntur, sed quoties mens ideam sensilis obiecti absens contemplatur, id per imaginationem exequitur, qua facultate ideas varias componimus, discernimus, revocamus, retinemus. Unde ingenium, iudicium, reminiscientia, memoria, quorum discussio non est huius loci.

*Apprehen-  
sio.*

*Idea, eiusq.  
divisiones.*

XI. Ad singulas mentis actiones illustrandas accedimus. Ac prima quidem Perceptio, ab aliis Apprehensio dicta, simplex est mentis contemplatio, nihil aiens, nihilque negans. Duo continet notionem, & vocem. Notionem dicimus mentis actionem percipientis five res corporeas, five incorporeas, tum absentes, tum praesentes, aut internas, aut oblatas. Mens quidem humana nihil intelligit, nihil cogitat sine specie, aut simulacro, graeco vulgarique nomine *idea* dicto. Est autem haec obiecti cuiusvis imago, quam mens immediatè contemplatur, interdum etiam ideae nomine intelligitur quaevis de re qualibet cogitatio, aut intimus quidam animi sensus. Ideam ratione originis dividimus in adventicias tantùm, & factitias. Illae a rebus externis per sensus adveniunt, istae vero mente formantur ex ideis iam comparatis. Duplex itaque cognitionum fons, sensus, & meditatio. Explosam hinc intellige putidam Platonis fabellam, qua humanos animos per Sydera sparsos a Deo aeternis, innatisque ideis donatos finxit, cui Ecclesia iure praefixit nigrum theta. Persuasum pariter habemus, innatas Cartesianorum ideas, quarum natura vel apud ipsos tam an- ceps est, & controversa, non nisi in intermundiis extare Platonis. Claras illas distinctasque ideas Dei, veritatis, Angelorum, animae, cogitationis, sapientiae, pulchritudinis, numeri, rei, substantiae, temporis, negationis, caet. quas passim effutiunt plerique recentiorum,

rum, nugas credimus, ac mera somnia. Nostrum erit exponere, quonam pacto eorum ideas adquiramus. Minimè ferendum est procusum a Malebranchio paradoxom, quo ideas mentis nostrae nihil aliud esse putat praeter Divinam essentiam, quae mentibus intimè affulgens, in se ipsa uti in speculo obiecta quaeque exhibeat, ac reprezentet.

XII. Idea, habita ratione suarum affectionum, alia clara est, alia obscura, alia distincta, alia confusa (quam divisionem non est cur reprehendat Faccioltus) alia adaequata, alia inadæquata. In his acquirendis, aestimandisque memoria, & contentio mentis primas partes habent, de quibus uberiorius infra. Rursum idea obiecti causa partitur in simplicem, complexam, universalem, particularem (hanc infinitam dicunt cultioris latinitatis studiosi) & singularem vel definitam. Huc pertinent acerrimae illae Universalia dimicationes, quarum utiliores tantum appingemus, ne nos levissimis haerentes, irrideat Canus ille, in his carpendis oculatissimus. Principiò Nominales impetratus, qui non nisi flatum votis universalem naturam adserebant, ea de causa olim a Realibus hostilem in modum oppugnati. Sunt igitur praeter voces, mentisque conceptus naturae universales, eisdem correspondentes. An in rebus ipsis? Minimè vero gentium, sed in mente solùm. Quid tum de universalibus illis substantiis, quas Plato a singularibus segregatas, aternas, uti rerum sensibilium exemplaria magno verborum ambitu conatus est adstruere? Nihil dubitamus eas cum Aristotele nugas canoras adpellare. Sed acrius cum Scholasticis rimemur originem naturae universalis. Fit illa abstractione, & praecisione mentis, quod non eveniet nisi pluribus individuis pernicijsima cogitatione lustratis. Naturae ita constitutae si intellectus, ut est

*Iudicium  
de ideis u-  
niversalib.*

optimus fingendi artifex , unitatem quamdam affinxerit , emerget illa universalis , ut aiunt , Metaphysicè , si adiecerit ordinem ad plura , Logicè . Pene nos fugerat quaestio inter Scholaisticas maximi fragoris . Universalis natura in enunciatione non perit , sarta tecta servatur .

*An ideas  
referenda  
institutio  
Porphyrii.*

*Ideae Prae-  
dicamento-  
rum.*

*Substantia.*

XIII. Huc etiam revocamus praedicabilia , dignam universalium sobolem , & praedicamenta , quae ideae sunt cuiusdam rationis . Praedicabilia , de quibus vetus extat Porphyrii Isagoge , ab Scholaisticis in deliciis habita , quinque notiones sunt maximè communes , per quas , velut per notas quasdam , res quaelibet de qualibet praedicatur . Sunt autem genus , species , differentia , proprium , accidens , de quibus ad nau- seam in palaestra . Praedicamenta , quibus nihil notius in Scholis , dispersit Aristoteles in classes decem , com- plexusque fuit carminibus illis , e trivio petitis : *Ar-  
bor , Sex , Servos , caet.* Sed heic Aristotelem in ius vocant Philosophi recentissimi , propterea quod praedicamentorum numerum sine causa auxerit , & plagi accusant , quod Archytæ praedicamenta fecerit sua . Iurene an iniuria ? non audemus dicere . Nos famam se- quimur , & Scholarum consuetudinem , rati hominis esse , otio turpiter abutentis , illa curiosius perscrutari . E diverticulo in viam , ubi prima obversatur substantia , quae aliorum praedicamentum caput est . Huius natura valdè implexa est , atque obscura , nam quae de illa obtrudunt Cartesiani , fucos dicimus , & inanes umbras . Vel inter ipsos Scholaisticos anxiè controvertitur , quorum alii eam dicunt ens negans existentiam in alio , alii vero fulcrum , ac basim accidentium . Utrinque parum aptè . Accuratiorem , quoad licet , substantiae ideam exhibent , qui eo nomine intelligunt id quod in rerum natura per se constat , vel apertius : *Ens cui de-*

*debetur esse per se*, quae quidem definitio longè abest a praepostera illa, quam construxit Spinoza, impius homo, in qua fundamenta iecit horridi pantheismi.

XIV. Proximum est, ut de ideis adiunctorum agamus, quae substantiam ornant. Eorum princeps quantitas est. Haec substantiam extendit in partes, diffundit in loco, a quo substantiam aliam similiter affectam extrudit. Illius insuper mensura est. Verum ex his effectibus sola partium extensio, quam dicunt *in ordine ad se*, genuinam nobis apperit quantitatis ideam. Reliquos ad illius attributa revocamus. Accedit huic qualitas, scilicet forma, ait Aristoteles, *qua quales esse dicimur*. Cimmeriae tenebrae. Clariorem aliam qualitatis notionem dabimus ex Schola. Quatuor numerantur ab Aristotele qualitatis species, habitus perfectus, & imperfectus; naturalis vis, & imbecillitas; affectio diurna, & brevis; forma, & figura: Harum notiones ac vulgaria, quibus apud nostros audiunt, nomina prodemus. Plurima de qualitate intensa fervide agitant Schola stici morosiores, quibus in conflictu modum statuemus. Ne quis vero heic desideret materiam pugnae, qua & exerceri ingenium possit, statuimus, binas, pluresve qualitates contrarias, summè per intensionem auctas, mutuum acerrimumque adeo bellum gerere, ut neque Dei potestate valeant unà esse, sive sociari. Reliqua praedicamenta persequi ex veteri Scholae ritu, iejuna profectò res est, exsanguis, lectori, nobisque ipsis oppidò molesta, atque iniucunda. Unde Reliqua Praedicatione. quid relatio sit, quid actio, passio, ubi, quando, situs, habitus, quid postpredicamenta, itemque Sholasticam de eisdem doctrinam, roganti exhibebimus ve- lut in nucleo.

XV. Ab ideis ad earum signa seu voces devenimus. Nihil eis ad societatem, ad quam finxit Deus ho- *Signa idea rum voces.*

minem, aptius. Institutae sunt ad cogitationum nostrorum copiam declarandam, & innumeris penè modis effungi possunt, ac moderari. Circa illarum originem nobis refutandi sunt Epicurei, qui aiebant, homines infantes natos necessitate quae cupiebant quaerendi, quosdam sonos edidisse, & Platonici qui docuere, primos homines a Deo accepisse vocabula, natura res significantia. Nobis persuasum est, voces esse signa arbitraria & rerum, ad quas significandas institutae sunt, & perceptionum, quae rebus ipsis respondent. Idem iudicium esto de scriptura. Non pauca heic tradunt Scholastici de divisione nominum, vel, ut ipsi appellant, *terminorum*, quae non putamus tanti, ut referri debeant. Inter vocum, seu terminorum proprietates cùm utilitate, tūm usu celebrior est suppositio, in qua enodanda omnes ingenii nervos exercuerunt auctores nostri, quorum tamen prolixas de his disputationes valde olim expavescebat Picus Mirandulanus. Nos vero quae illi de hoc argumento praecipiunt argutissimè, dabimus velut per lancem saturam. Ad rectam insti-

*Recta per-  
ceptio vo-  
cum.*

tuendam cogitationem haud parùm confert perceptio terminorum, quae ut absoluta sit, non pauca cavere oportet. Sed in eo argumento illustrando acutè, ac diligenter, ut assolet, versatus est Antonius Goudinus. Peripateticorum comptissimus, quoque nemo felicius manum ad scribendum appulit, sive doctrinam, sive ingenium, sive iudicium, sive methodum, sive orationem spectet, ut cum recentioribus certare possit. E diverticulo in semitam.

*Laus Ant.  
Goudin.*

XVI. Perficitur maximè vocum perceptio definitione, divisione, abstractione, quibus instrumentis carere non potest, qui veritatis studio tenetur. Est autem definitio, quae quid sit id, de quo agitur, ostendit Natura de- finitionis. quam brevissimè. Illa si nominis est, vel illius vim ap- rit,

rit, vel coercet, vel e fonte dicit; si vero rei, aut essentialis est, aut descriptiva. Prima per naturam, seu essentiam, altera interdum per causas, saepè per proprias affectiones, quandoque per communia attributa accuratam rei notionem exprimit. Suis circumscribitur legibus, quas in concione, si placet, audies. Divisionis claritatis parens, memoriae dux, oratio est, quae rem in partes tribuit suas. Si vocis ambiguas detegit significaciones, rectius appellatur distinctio. De divisionis legibus in pugna colloquemur. Abstractio imbecillitatis humanae mentis index, distincta cogitatio est vel rei in partes dissectae, vel partis in varios conceptus distributae. Sed de prima mentis operatione haec tenus.

XVII. Iudicium, secunda humanae mentis operatio, ideas accurate perceptas inter se comparat, sive aiens, sive negans. Nascitur inde propositio, aut enunciatio, quae ratione materiae, quantitatis, qualitatis, formae multiplex esse potest. Haec ne pluribus persequar, facit ille Reipublicae Scholasticae tertius Cato Melchior Canus, qui dolet *enunciationes expónibiles, obligationes insolubiles*, aliave id genus monstrata a viris doctis in Scholam illata. Non praetereundum tamen, inter enunciationum proprietates pluris habendam oppositionem, quae est duarum inter se pugnantium propositionum comparatio. Funditur haec per enunciationes contrarias, contradictorias, subcontrarias. Earum leges feremus. His vero alia multò spinosiora circa Equipollentias, Conversionem, similesque nugas veteres Dialectici pro saeculi genio peperrunt, quorum in hac litterarum luce mirificus omnium contemptus. Progrediamur.

XVIII. Tertia mentis actio Ratiocinatio dicitur, *Ratiocinatio* quo nomine *Rationem* intellexit Cicero, *quae ex ratio-*  
*bus*

*Notio di-  
visionis, &  
abstractio-  
nis.*

*Divisio  
enunciatio-  
nis.*

*bus perceptis ad id, quod non percipiebatur, adducit.* Peripateticis oratio est, quae quibusdam positis aliquid aliud concludit. Tribus constat ideis, quas verbis expressas, *Terminos adpellamus.* Argumentatio plerumque dicitur, eiusque formae five species feruntur inductio, exemplum, enthymema, epicherema, sortites, dilemma, syllogismus, ad quem unum, ut in optimam ratiocinandi formam, reliquae revocantur omnes. Eius tota vis est in quaestione solvenda, ut pallam fiat, praedicatum subiecto convenire. Circa syllogismos notissimae sunt ab Scholasticis praescriptae regulae. Nihil eorum quae de syllogistica vi tradita sunt ab Scholasticis, pensi habent plerique Recentiorum. Sed in hos Scholae causam strenue egit Leibnitius, Philosophus iudicii subactissimi. Non est otium & figuras, & modos syllogismorum persequi.

XIX. Ars syllogistica in subsidium adsumit *Loci Topici.* picen, quae doctrinam continet inveniendae ideae cuiusdam mediae, convenientiam cum duplii alia ostendit suam. Eruitur illa ex promptuariis quibusdam, five locis, qui Topici dicuntur, nimirum: A causis, ab effectibus, a subiecto, ab adjunctis, a contrariis, a simili, a nomine, a definitione, a divisione, ab auctoritate. Neque hi omnes ex aequo ad Philosophiam pertinent, neque par illis pondus tribuendum.

## DE COGNITIONE VERI.

I. **E**O tendunt operationes mentis, ut veritatem adsequamur, in quam impetu quodam naturae feruntur omnes. Ad eam tamen aegrè pervenimus, imò in errorem rapimur facilimè. Causae, fuga disciplinae; socordia in inquisitione veri; corpus malè compactum; & pessimè affectum; penuria, atque abusus sub-

subsidiorum ; memoriae exilitas ; phantasiae impotentia ; & praecipue dum affectus animo moderantur ; voluntatis perversa indoles ; mentis ipsius angustia ; ignorantia ; oblivio ; prava electio principiorum , quibus rectum instituatur iudicium, caet. De singulis non erit iniucundum , sermonem instituere , ut inde liquidò appareat, immensi moliminis rem esse, vera a falsis distinguere , & quasi adhibito vanno , & tot quisquiliis , & fallaciarum glumis purgatissimam veritatem educere. Neque iccirco a vestigatione veri avocanda mens est, quasi vero nulla illius assequendi spes affulgeat. Mordicus id tueri , Scepticorum infaniae , negare alterum Pedantarum arrogantiae est , a quibus longè recedendum. Est autem in mente nostra tessera , sive nota quedam veritatis , quam *Criterium* Graeci nominavere. Hoc ergo criterium non in ipsa intelligentia , quae fit facultas quedam animi , ut placuit Pythagoreis , non in sensibus , ut Epicurei existimant , constitutum est. Neque ideo sensibus fides funditus detrahenda , nam suapte natura fidi illi sunt veritatis vades , rationisque administri. Non ii tamen , quibus adscribi queant criteria veritatis. Cartesius duplex criterium adstruit, primum est , de rebus , vel certissimis , ac manifestis dubitare quo pacto arbitratur , mentem facillimè excurrende in penetralia veri. Ast dubitatio illa stulta , imprudens , lubrica est in errorem via ; unde non prodefse , sed obesse plurimum putanda est vestigationi veritatis. Cave , existimes , quamcumque nos dubitationem respuere. Commendamus prudentem improbamus temerariam. Aequè enim eos peccare , arbitramur , qui nimium dubitationi se tradunt , quām qui nimis facile credunt , utrique nimio aut erroris fugiendi desiderio , aut veritatis improbandae timore abrepti. Ne igitur utrinque ad scopulos illidaris, hos habeto Canones.

*Criterium  
veritatis.*

*De*

*De primis principiis per se notis, & rebus certa experientia, aut omnium hominum, omniumque temporum consensu probatis, aut evidentissimis ne imprudenter dubitato.*

*De veritate rerum, aut sententiarum quas doctissimi viri tradunt, ac probant, rudes, atque omnino imperiti ne litem moveto.*

II. Alterum Cartesii criterium est: *Quidquid in idea clara, & distincta rei alicuius comprehenditur, verum est, ac de ea certò valet affirmari.* Non probamus, quod fallax sit, ansamque praebeat acerrimis Religionis hostibus. Quoniam igitur nobis utendum est criterio? duplici, altero naturali, evidentia nimirum principiorum, artificio altero, puta, regulis Logicis. Maneat ergo, certissimum quandoque nos de rebus iudicium ferre, falsòque existimasse Huetium, hominem caetera acutissimum, nos ab uno Deo cognitae veritatis posse certiores fieri.

III. Supereft, ut de veritate probabili dicamus.  
*De veritate probabili.* Nititur illa hypotesi, quae propositio est pro vera aſumpta, proptereaquòd rei proprietates & effectus inde commodè pateant, & explicentur. At cum hypothesis non una sit, varia quoque illi superstruitur probabilitas. Nam alia est Hermeneutica, alia Historica, alia Moralis, alia Politica, Physica tandem alia. En Logicae partem, quam post Verulamium Recentiores fedulò excoluere. Haec principia erudit Artis Critices, quam cum Iohanne Clerico vix a Dialectica differre, censemus, quam qui contemnat, nae Glauchο hebetior est. Explicatis probabilitatis generibus, discrimen inter hypotesim, possibilitatem, fictionem, itemque genuinas opinionis conjecturae, praesumptionis, dubii, scrupuli ideas adperiemus. Fundamenta insuper probabilitatis cuiusvis, historiae praesertim dabi-

bimus, in qua axiomata de gradibus fidei humanae, leges de numero, & auctoritate testium, de narratione rerum antiquarum, & mirabilium, de modo, seu genere narrandi paucioribus, quoad fieri possit, expendemus.

IV. Quibus ita constitutis, e re nostra visum est, *Subsidia ad subsidia commemorare*, ad investigandam, proponendamque veritatem aptissima. Eiusmodi sunt *Meditatio*, *Lectio*, *Disputatio*. Meditationis nomine intelligimus cogitationes, ad leges quasdam iusto ordine ita institutas, ut novae semper veritates ex veritatibus cognitis emergant. Maximè ad id conferunt methodus, & attentio, de qua excitanda, itemque de fugiendis praetudiciis auctoritatis, & praecipitantiae non pauca admonemebimus, cognitu dignissima. Veritatem quoque ex aliorum scriptis erui, quis neget? delirus. Quae ad illam cum fructu instituendam necessaria sint, non tacebimus. Illorum caput est *interpretatio*, quae eò collimat, ut sensum auctoris divinando adsequamur, quem ipse verbis non satis expressit. Ad id verò, ne facile labamur, regulis quibusdam nos duci, oportet, quae ad subiecta capita referuntur. De scribentis affectu, & fine; de propositionibus; de antecedentibus, & consequentibus, de locis parallelis; de diversis unius auctoris sententiis; non raro pugnantibus; de absurdo vietando; de auctoris systemate; de interpretatione restrictiva, declarativa, extensiva; de aequitate, de sensu benigniori praferendo; de interpretatione mystica. Überem haec nobis suppeditabunt dicendi copiam. Leges tandem, quas circa ineundam disputationem, veritatemque in scriptis historicis perspicuè proponendam, tulerunt viri, qui ingenio, doctrina, assiduaque in his exercitatione plurimum valent, proferemus in medium. Atque his ad umbilicum perductum est sus-

ceptum a nobis argumentum Logicae, disciplinae pulcherrimae, quam neglectum sui per omnem vitam severissimè vindicare, res ipsa docet, & magistra rerum experientia.



## PHYSICA.

I. **U**t primūm optimae Logicae praeceptis imbuī caeperunt humanae mentes, Arsque Critica in illius subsidium vocata fuit, dici vix potest, quām foecunda evaferit novorum reperitorum inquisitio naturae. Hanc Physica erudit, pars quidem Philosophiae nobilissima, qua non aliam habuere homines neque priorem, neque antiquiorem, cuius cognitione potiri, non solum summa laus est, summumque ornamentum, sed & summa voluptas. Eam nos disputationi tradituri, notissimas illas controversias de simplicitate, praestantia, notis, & affectionibus Physiologiae, quibus Scholae ingenia praeludunt, silentio obvolvimus, ut confestim naturam, artis huius scopum, intueamur. Voce illa, satis quidem ambigua, intellexit Scholae Princeps Aristoteles *principium motionis, & quietis substantiae illius, quam constituat ipsa Natura.* Heic quām sit obscurum istius Apollinis Oraculum, nemo non est conqueri solitus. Dabimus operam ut sua illi afferatur lux. Introspiciendum est modò corpus physicum, quod cum plerisque que principia dicimus, principio motus, & quietis contineri. Pespiciam huius existentiam obscurare conatus est Pyrrhonianorum Hyperapistes Baelius, demonstrari posse, negat perficta fronte Malebranchius. Verùm in refellendis insanis his Naturae consultis immorari, dispudet.

Iam

*Naturae  
notio.*

*Corpus phy-  
sicum, illius  
que princi-  
pia.*

II. Iam vero primis quibusdam principiis Physica constare corpora, apud Phylosophos omnes incomper-  
to est, ipsaque rerum mutatio clamat. Ea prima cor-  
porum principia dixerunt profani vetustatis Philosophi,  
quae nec ex se mutuo sint, neque ex aliis, sed ex ip-  
sis omnia. Perbellè quidem, ni sub his verbis ( quod  
suspiciari licet ) aeternam materiam a Deo non creatam  
inferant in naturam. Sed Recentiores aggrediamur.  
Naturalia corpora, sive entia non illis Gassendistarum  
atomis arcana quadam vi simul extensis, & partibus  
destitutis, non terra, non aqua, non aere, non igne,  
vel ad palatum etiam Honorati Fabri conditis, non  
Chymicorum sale, sulphure, mercurio mirè revolutis,  
non Cartesiana illa materia pro libidine in gyros acta,  
non sphaerulis assiduo attritu formatis, non tamen de-  
cidua scobe, velut primis partibus componuntur. New-  
tono insuper cum particulis, Leibnitio cum monadi-  
bus valere iussis, ea statuimus physici corporis prin-  
cipia, quae nec sensibus, nec imaginatione, sed solo  
intellectu deprehendi, valent. Ergo si fiat illud per  
strictam ut aiunt mutationem, triplex postulat princi-  
pium, materiam, privationem, formam; si vero per  
conversionem, praeter materiam, exigit amissam for-  
mam, novamque comparatam; perfectum tandem, at-  
que absolutum copulatis materia, & forma continetur.  
Inde liquidò constat, probari nobis materiam primam,  
notis sigillatam peripateticis, quam non defuit qui in  
notissimo Eliae Laeliae Crispidis Cenotaphio latere,  
crediderit. Natura formae, a qua materia primariam  
auspicatur speciem, valde testa est, atque involuta.  
Non satis eam perspectam habent Recentiores, qui vel  
ipsam dicunt texturam, & harmoniam partium, vel  
multiplicem motum, in primordiis rerum a Deo par-  
ticulis impressum, vel accidentium congeriem. Hinc

Materia  
Aristotel.

*Forma Pe-  
ripatetica.*

rerum discrimen, ortum, interitum explicant parùm aptè. Longè his accommodatio est Peripateticorum opinio, qui formam, substantiam dicunt reapse a materia distinctam, sed dimidiatam, atque praecipuarum corporis perfectionum fontem, & radicem. Modò cum eruditis illis nobis futura res est, quibus illa doctrinam redolent non ex Lycaeо, sed ex Arabia, quorum si argumenta rimeris, dixeris bullatas nugas. Graviora nos in veterum scriptis momenta deprehendimus, quibus ostendamus, substantiales Scholae formas non nisi per invidiam uti Arabum figmenta traduci.

*Productio  
formarum  
corporear.* III. Age vero illarum genesim in examen vocemus. Nihil nobis firmius persuasum, quàm corporeas formas educi *de potentia* materiae, non vero creari. En Sphingis aenigma a quo expediri nequeunt, qui vel formas in materia latentes non tām denuō gigni, quàm in lucem extrahi, vel formarum semina, aut linamenta in eiusdem visceribus occlusa, vel genericum formae gradum materiae inditum, specificum verò operantis virtute adiectum, arbitrati sunt. Nos verò eductionis nomine intelligimus formam ita in materiae sinu, non extra, produci, ut & forma, & eiusdem effectio in illa recipiatur; quo fiet, divulsam a materia formam non posse, nativis saltem viribus conservari. Reliquas Scholae controversias *de materiae actu entitativo, metaphysico, distinctione, varietate, caet.* otiosis hominibus relinquamus, cum quibus evocare, dispudet, nescio quem e machina Deum, qui materiam reddat informem, vel cogat plures dissociatas formas sinu suo fovere.

IV. Naturale corpus, ita conflatum, numeris omnibus absolutum non est, ni sensibilibus ornetur affectionibus. Cogimur heic iterum manus cum Recentioribus conferere. Nam avitam retinentes doctrinam, eas af-

*Formae ac-  
cidentales  
Aristoteli-  
corum.*

*Qualitates  
Corporum.*

*Motus.*

affectiones propugnamus accidentia scholastica , quae scilicet a natura substantiae toto Coelo differant , ipsi que adveniant. Cuius assertionis ea laus est , Christiano Philosopho apprimè expetenda ; ut Sacratioribus Fidei arcanis , & Synodorum statutis consulat religiosius , indeque petere nobis liceat argumentum , perpetuò negotium facefens adversariis. Communes corporum affectiones sigillatim investigemus , e quibus illa est facile princeps motus. Hunc in universum definiit Stagirita. *Actus entis in potentia prout in potentia*, quibus tanta ineſt obscuritas , ut non fatis sint multi Daelii natatores, nequis praefocetur. Eam tamen Scholasticorum doctrina pro virili illuftrabimus , nec pretermittimus species sub illa comprehensas. His multò notior est localis motus , quem qui neget , protinus est ad agnatos , & gentiles allegandus. Illum dicimus *Origo migrationem de loco in locum*. Primordialis fons , & originus motus non est illa Epicurea vis , atomos sus deque miscens, ac perturbans, sed spiritualis substantia, quae & ipsa immota , dat cuncta moveri. Unde sapienter ab Aristotele dictum, & Angelico Doctori probatum, existimamus : *quidquid movetur , ab alio movetur* : qua in sententia ad comparandam notitiam summi Numinis exegit monumentum aere perennius. Praeter illam motus causam ignobiliores alias , etiam corporeas, reperire est, quas adsignabimus. Proiecta corpora non ab aere retro impellente , vel densiori , vel rarefacto , vel latius sese expandente , sed impulsu a motore intrinsecus impacto , moventur.

V. Gravitatis originem explicaturi, occurunt vident factō agmine Recentiores. Vortices materiae coelestis in medium profert Cartesius , magnetica effluvia Gaffendus , fluidam substantiam a telluris centro fugere nitentem Leibnitius , pressionem fluidi aetheris

Ha-

Hamelius. Verùm his non feliciùs explicari putamus phoenomena gravitatis, quàm intraneo illo, corporibusque insito impulsu Peripateticorum, qui de genere accidentium habendus est. Suae insunt motui af*fectio-*  
*nnes motus.* fectiones, nimirum quantitas, velocitas, determinatio, reflexio, refractio, continuatio, acceleratio, quibus illustrandis immane quantùm insudaverint Recentiores! Nos vero nihil eruptum volumus Mathematicis. Iccirco singularum notionem, leges, causas, itemque motus globuli e tormento bellico excusci, sagittae arcu emissae, ventus impetu concitati, non contentiosa, sed placida, brevique oratione persequemur. Sed & lepidissimis aliis quaestiuculis rogantem oblectabimus. Adiungimus his motum elasticum, cuius principium vis illa est, qua corpus pristinum statum, situmque repetit. Illa a partium rigiditate, duricie, flexilitate quadam adiecta, proficiscitur, augescitque in aliis corporibus elaterio aeris, illorum poros pervadentis.

*Loci defini-*

*tio.* VI. Alia corporum nota est, ut sint in loco. Aristoteleam loci definitionem nemo unus ignorat. Ergo thesim valde utilem appingamus. Accidere, Deo annitente, potest, ut plura corpora, affecta quantitate, eademque incolumi, unicum expleant locum. Ad inane vel vacuum quod spectat, dicimus, Newtoni argumenta pro acervato illo, seu magno imbecilla esse. Neque ideo Scholasticis adhaeremus, qui naturam nescio quam gestant in cerebro, ita inane quodvis exhorrescentem, ut illius vitandi causa ea ediderit phoenomena, quae in hac litterarum luce, constat, aliis causis esse tribuenda. Nihil tamen vetat, quominus spatium ingens a Deo, praetergraessis naturae viribus, inane prorsus relinquatur, quod Cartesius temerè negavit, in quem vacuum extramundium probamus, ac tuemur. Vacuum parvum, aut disseminatum parùm firmis ar-

gu-

gumentis negatur ab Scholaisticis. Ex eo ne minimum quidem detrimenti caperet natura rerum, imo aperta phoenomenorum quorumdam expositio pendet. Praeterea corpora omnia observare licet infinitis propemodum pertusa poris, quo in arguento copiosè, & eleganter versatus est Cl. Benedictus Feijoo. Eadem doctrina corporum raritas, & densitas facile elucescunt.

*Corporum  
porositas.*

VII. Inter sensiles corporum qualitates recensentur calor, & frigus. Quibus particulis, ac figuris eas absolverint Recentiores qui scire aveat, benevolè a nobis audiet. Accidit saepè, ut calorem comitetur localis motus, modo ut causa calefacentis, modo ut calefacti corporis effectus. In illius propagatione ignearum particularum effluvium invenire licet, quod vehiculum putamus diffusae qualitatis. Huius virtute solvitur particularum nexus, aut expanduntur illae; quo fit, heterogeneas disiungi, homogeneas vero congregari. Familiare est Cartesianis, Frigus in absentia caloris reponere, sed eos gravissima refellunt argumenta. Nos frigus qualitatem dicimus, corpora constringentem, vel addensantem, aliosque producentem effectus a nobis indicandos. Non inficiamur tamen, ad illud conferre maximè particulas salinas, ac nitrofas.

*Calor.*

Cur ita? Audies nos de his, atque de subiectorum phoenomenorum causis differentes. Corpora quò solidiora, èò validius incalescunt, atque potentius urunt; lebetis fundum statim ac ab igne, aqua fervente, extrahitur, percipitur tepidum, aquae vero fervore cesante, calidissimum; oleum, & cera calore Solis exalbescunt, nigrescit autem caro, idque genus alia; flatus oris compressis labiis in manum modicè distantem expulsus, sentitur frigidus, si aperto emittatur ore, calidus; frigus plurima corpora, carnem praesertim

*Frigus.*

mor-

mortalem, a putredine eximit, vivam, tenerasque plantas adurit; frigida manus igni admota acutissimo dolore percellitur; animalium halitus, saeviente frigore, adinstar fumi spissus adparet. Tandem glaciei formationem ad Academicorum Parisiensium, & Florentinorum observationes exactam proferemus in medium.

*Fluiditas.*

VIII. Fluidum corpus est quod particulis constat subtilissimis, disotatiis, mobilibus, ac pressioni cedentibus, quo fit, ut facillimè ambientis corporis figuram induat. Fluidorum particulae firmae sunt, & ex earumdem varia ad motum aptitudine varia quoque manat corporis fluiditas. Huic contraria affectio soliditas est, quae pendet a partibus crassiusculis, arctissimè inter se vinctis, ut nulla nisi aliis secum abreptis, moveatur. Unde cognoscitur, solida corpora suis terminis facile, alienis vero difficilè contineri. Iccirco eorumdem partes hamatas, aduncas, ramosas, idque genus alias non temere effinxeris. Id tamen cavendum

*Mollities, & Duri-* confundantur, tametsi haec illarum habeantur propa-  
ties.

Durities ex solidis, stricticisque contextis parti-  
bus derivatur, mollities vero minorem partium adhae-  
sionem praefert, coalescitque ex fluiditate ipsa, me-  
diocri soliditate immixta. Ex his tandem affectionibus

*Qualitates aliae.* impari gradu, ratione, utique temperatis, plurimae  
aliae nascuntur, ac pullulant, quarum notiores sunt  
flexilitas, ductilitas, sectilitas, friabilitas, tractilitas,  
fosilitas, ruptibilitas, caet. in queis explanandis tan-  
tisper immorabimur. Qualitates alias illustrabimus  
pro re nata.

*Causa, eius multi-plex genus* IX. Reliquum est, ut externa rerum principia, ni-  
mirum causas, adgrediamur, id quod praecipuum Phi-  
losophorum munus postulat. Causae nomine in univer-  
sum intelligimus principium, quod ad rei productio-  
nem

nem vere confert, vel a quo res esse depromit suum. Persuasum est plerisque Philosophorum, quadruplex tantum extare causae genus, materialis, formalis, efficientis, & finalis. Nonnulli cum Platonicis adiiciunt exemplarem, quae tamen sive ad formalem, sive ad efficientem commodè revocari potest. Omnis causa vel tempore, vel natura effectum praecedit suum, quem ratione sui munera antecellit. Non raro tamen accidet, ut esse causa sortiatur ignobilius effectu. De singulis enucleatius ita statuimus. Effectrix causa perfectionem effectus vel superat, vel saltim exaequat; intrinseca semper ignobilior habetur; finalis saepè par est, interdum impar: Quum verò deterioris ordinis esse contigerit, id non ipsius naturae, sed agentis vitio tribuendum. Existentia non ex aequo causis omnibus necessaria est. Nam finalis sola sui cognitione allicere atque excitare valet appetitum. Efficiens ni in se ipsa, vel profluxa ab illa virtus existat, effectum pariet omnino nullum. Ad materialem, & formalem quod attinet, facile deprehenditur, eas ut exerceant causae munera, veram existentiam postulare.

X. Causam effectricem aptè vocavit Aristoteles: *Principium externum, a quo primò fluit motus, sive ciens productio rei.* Pendet itaque effectus a causa, cui esse suum refert acceptum, Iccirco ab illa differt, nullamque sui ipsius productricem reperiēre est, si excipias causam primam, quam angustiis his non circumscribimus. Non unum causae efficientis genus commemorant Scholastici, quibus adhaeremus. Nobis heic ad pugnam compositis occurrit par nobile Recentiorum, Cartesius, & Malebranchius, qui cordatioribus Philosophis, qui sensibus, qui naturae ipsi bellum indicentes, virtutem omnem effectricem causis creatis denegarunt. Egregiam vero laudem! Nos activas virtutes

tes in illis causis deprehendimus, quin propterea Deum Opificem Maximum fingamus inertem, ac otiosum cum nonnullis veterum, qui eam insaniam insanierunt. Huc revocamus causam instrumentalem, videlicet quae operatur virtute alterius; cuius ut vera notio vividius elucescat, statuimus, instrumentum quodvis ita natura comparatum esse, ut nisi motionem quamdam actuofam exceperit a principe causa, inane prorsus sit ad operandum. Sed de his fusius in palaestra.

*Causa finalis.* XI. Accedit finis, causarum nobilissima. Est autem ille res, cuius amore pellicitur agens ad operationem; quod, cum non uno modo accidat, non unam finalis causae divisionem parit, sed rem tenuius ad vivum refecare iuvat. Licet bonum ut voluntatem in sui amorem pertrahat, eidem obiici debeat, vera tamen alliciendi ratio ab una bonitate manat, & proficiscitur. Hinc in ampliorem delabimur agonem, inquisituri, quaenam agentia ex tot tamque variis, quae in aspectabili mundo cernere licet, propter finem agant. Principiò impetus Democritum, Leucippum, Epicurum, aliosque huius furfuris nebulones, qui ut Religionis metum radicitus convellerent, sublata omnipotentia, cunctisque atomorum ludo permisso, nullum causae, propter finem agentis, characterem in natura observarunt. Monstra non homines! quorum infatiae hostes niam, ac proterviam tanta doctrinae copia, tanta vernosè ab Ant. Goud. refutati. borum concinnitate, tam apto, & congruenti ordine, tam naturali sententiarum, argumentorumque nexu detexit, refutavitque Goudinus, ut si cuius animum non statim mira quadam voluptate pelliciat, nae plumbus ille sit, & stultior lapide molari. Sed in viam regressi, a qua nos abduxit tantisper amor Philosophi non ignobilis, sustinemus, nullam à monstribus providè instituto rerum ordini labem adspergi. Inter animantia  
bru-

bruta quae nobiliora sunt, perfectius in finem collimant, non iudicio, sed sensu praestitum. Homines vero, in comperto est, altiori via, scilicet vivido, quo pollent, rationis lumine suos sibi fines destinare.

XII. Admonet nos loci opportunitas, ut paucula de fortuna, casu, & fato, nominibus frequentissimis, praelibemus. Fortuna apud Gentiles fatuum, furens, *Fortuna,* caecum, atque execrandum Numen; nobis causa est fortuita quorumdam effectuum praeter opinionem accidentium. In causis naturalibus casus dicitur, in liberis retinet fortunae appellationem. Circa fatum Veteres insigniter etiam delirarunt. Nos fatum ex Boetio ita finimus: *Immobilis rerum mobilium dispositio per quam providentia suis quemque necit ordinibus.*

XIII. Omnis causa, ut agat, actione sua instructa *Causarum* sit, atque vel ipsa, vel a se fluxa vis passo, quod aiunt, *leges.* praefens se sistat, oportet. Unde nequit, consultis naturae viribus, in dissito loco intacto medio operari. Actionis, & recreationis ideas dabimus ex nostris. Earum luculentissima suppeditant exempla avium volatus, piscium natatus caet. : Illustrius vero novum illud, hactenusque inauditum navigandi genus sine velis, remisque, a Daniele Bernoullio inventum, & ab aliis non sine successu tentatum, quod rogati paucis apriemus. Non praetereunda Antiperistasis, quo nomine *Antiperi-* qualitatem ab adversa alia fortiori obsessam, significa-*stasis.* runt veteres. Quae illi a Peripateticis effecta tribuntur, crebris adeo experimentis comperta sunt, ut perperam ad errores vulgi, sensumque ludibria amandarit Benedictus Feijoo. Nostrum erit exponere, quoniam pacto obsessae qualitates increscant, vividiusque percellant organa. Item qua ratione reflexa lux in obstanti corpore clarius, quam in parte soli viciniori adpareat, quatenus verum sit effatum illud *virtus unita fortior.*

*Cosmogonia.*

I. **H**A&tenus recepto in Schola more Naturam in universum ad sistema quoddam, velut ad lesbiam normam exactam lustravimus. Supereft, ut quasi in domum aliquam locupletem venerimus, singula naturae ornamenta introspiciamus. Mundum itaque, quem Cosmon primus omnium Pythagoras nominavit, pulcherrimam hanc coelestium, ac terrestrium rerum compagem dicimus. Veterum Philosophorum circa illius genesis, originem, ornamenta, errores, ac deliria, tunc ex ordine institues, cum aegrorum sonnia uni formae reddideris. Nos veram Cosmogoniam tradituri, uni Moysi, historicorum optimo, fidissimo, coelitusque erudito insistendum putamus. Nativum itaque illius historiae sensum retinentes, proferemus Opificii ordinem, illustratumque dabimus doctrina D. Thomae. Qua in re longè exsuflamus audaciam Burnetii, qui Moysis historiam ad allegorias perversè detorquet, qui ante coelestia corpora, quam terrestria condita fingit, qui tellurem corticem aquae induratum facit. Eadem oberrat chorda illius Reformato Wistonius, qui singulos Mosis dies prorrogat ad singulos annos. Mosaica igitur narratio illa simplex, ac propria putanda est. Quoad dierum etiam distinctionem? Ast heic praestò adsunt invicem dissidentia duo nobis charissima, & veneranda capita, Augustinus, & Thomas, quorum utri plus deferendum sit, non facile dixerimus. Pace tamen Doctoris Maximi, modò in Angelici sententiam propendimus, quae naturales adserit creationis dies, in spem ingressi fore ut alio die Augustini partes, fortunante Deo, sustineamus.

II. Deus Opifex Max. Mundum certo tempore de nihilo procreavit, non coactus necessitate naturae, non per-

permixtus cum aeterna materia , quae sit & ipsa de nihilo effecta , ut placuit quibusdam insanire. Qua vero tempestate ? Non liquet. Si rem coniecturis metimur , ineunte AEquinoctio Verno conditus fuit Orbis, idemque pulcherrimus , praestantissimus , prout decebat tanti Artificis opus. Unicus etiam , tametsi innumeri alii condi potuissent, quod Cartesius temerè inficiatur. Ut cumque tamen perfectus sit , contra Leibnitium , & Wolfium perfractè negamus , esse possibilium omnium perfectissimum. Illius magnitudo maior quam quantum animus informare potest , terminis verò circumscripta. Quandiu perennabit , incertum. Cum plerique tamen arbitramur , coelestia corpora , & elementa quoad praecipuas dotes aeternum persistura. Fac quoque , non esse a Deo providè statutum rerum corporearum interitum , nihil vetabit quominus sola , quae modo viget , cunctaque servat , ope Supremi Numinis valeant illae perpetuò constare.

III. His delibatis , splendidiora mundi corpora , nimirum coelestia , perlustrare iuvat. Coelum ingens illud spatum dicimus a Luna ad Empyreum longè , latèque diffusum. Nulla repletur solida materia , vel crystallo pellucidiore , sed radiis quaquaversum træctis , aura , vaporibusque longè tenuissimis. Plura Coelorum praestantiam augent , sed neque vegetans neque sentiens anima. Qua in re turpiter lapsi sunt veterum non pauci , turpius verò qui eos dixerint intelligentia praeditos. Coelestia corpora obnoxia corruptioni sunt , sed non adeo frequenti , ut sibi persuasum habent Recentiores. Constans est eorumdem motus , cuius causa nondum vel tot propalatis hypothesibus clarior adparet , quam veteribus visa sit. Unde omni pede pro iis Patribus standum , qui docuere coelestia corpora ab Angelicis mentibus circumvolvi.

Pla-

*Dotes mun  
di.*

*Corpora  
Coelestia.*

*Planetae.* IV. Planetas adgrediamur, de quibus divinare multa, pauca licet scire. Primum non sine aliorum cunctis ac ludibrio praestiterunt Wolfius, & Fontanellius, dum montes, flumina, plantas, urbes, incolas, in planetis commenti sunt. Sed mittamus has nugas, & aegri somnia. Lunae corpus ex fluida, solidaque substantia compactum est, atque telescopio determinatum, non politum, sed dentatum, multisque anfractibus intercicum adparet. Inde utilitas maxima. Tota eius superficies mira varietate distincta cernitur, quedam enim partes splendidè lucent, aliae velut maculis offusae nigrescunt. Hae imparis obversantur magnitudinis, & diurnitatis. Causam deprehendes in palestra, itemque luculae illius, quae in Lunae parte soli adversa in primo eius incremento, & ultimo decremente conspicitur. Telluris Lunam inter & Solem positio in causa est, ut illa solaribus radiis orba, veluti languescat, deficiat, Eclipsimque patiatur. Neque id accidit in omnibus Lunae oppositionibus. Cur vero Luna priusquam telluris umbram subeat in parte Orientali velut offusa tenebris videatur? Cur illius eclipsis modo partialis, modo totalis eveniat? Aperiemus in pugna.

*Sol.* V. Tam vividè in Sole ignis affectiones, calor, lux, color, caet. deprehenduntur, ut videatur portentisimile, Philosophos extitisse, qui serio aliam Solis naturam fuisse, putaverint. Quamquam vero fatemur, Solem igneo mari persimilem, atque actuosissimum, Svidenum tamen explodimus, inferorum sedem in Sole stultè collocantem. Splendidissimum licet sit solare corpus, suis tamen maculatur naevis. Hos, repudiatis aliorum opinionibus, contendimus esse nubes atras, in parva a Sole distantia concretas ex fuliginosis, crassisque exhalationibus, ab illo prodeuntibus. Solis fa-

culas coniicimus esse partim quasdam effervescentias, partim ingentes ignis globos, qui velut e montibus flammivomis iaculantur. Haec pluraque alia argumento sunt, Solem quadam sensili atmosphaera circumambiri, quam non esse minusculorum Planetarum congeriem, multis ostendi potest. Ea doctrina perperam abuteretur quis, ad naturalibus effectis accensendum Solis deliquium illud, miraculi plenissimum, quod, extinto Divino Sole Iesu contigisse, Sacris Litteris est memoriae proditum. Inde patefit, Solem nativa vi, nullaque externa causa conferente, modò intensius, modò languidius calefacere. Causam, tempus, leges, Solarium Eclipsium dabimus ex Astronomis. Ridentius vanissimus ille terror, quo veteres ob Solis, Lunaeque Eclipses legimus magnopere percussos, qui que etiamnum occupat ignaram plebeculam.

VI. Neque unus est Sol, sed totidem fulgent in Coelo Soles, quot *Stellae fixae*, quibus proinde similes qualitates vindicamus. Id vero de fixis addimus, earum scintillationem & ex motu, quo circa proprium volvuntur axem, & ex agitatis in atmosphaera vaporibus repeti oportere. Diversas fixae pro diversis distantiis exhibent magnitudines. Ex eis plurimae vix tenuem lucem emittunt, quales sunt nebulosae, & quae viam lacteam efformant, plurimae etiam inconspicuae omnino sunt. Quocirca fixarum Stellarum numerum, qui inire tentarit, frustrà fuerit.

VII. De Cometarum situ, natura, origine acris inter Philosophos exarsit controversia, quos tamen non multò operosum est in concordiam adducere. Fatemur itaque, nonnullos ardere visos infra Lunam, quos ex oleaginosis, pinguibus, viscosisque exhalationibus, in sublimi aere accensis, compactos arbitramur. Plerique tamen computandi sunt inter erratica Sydera, mundo

*Stellae  
fixae.*

*Cometae.*

coaeva, & constanti periodo in orbem revoluta. Unde non fiunt complicatione stellularum. Neque iccirco inficiabimur, efformari quandoque posse Cometam ex Planetarum exhalationibus, in unam veluti molem concrescentibus. Fulgor ille adscitius pro diversis, quibus nucleo Cometarum adiungitur, modis, vel cauda, vel barba, vel coma adpellari consuevit. Haec vero una cum Cometarum motu quam longum dare possint sermonem, quisque in nobis experiri poterit. Pavent Cometarum aspectum proletarii homines. Quid si novissent Wisthonus fabulantem, unius Cometae vapores suppeditasse diluvii aquas, & ex alterius accessu terrarum orbem tandem conflagraturum? Sed apage naenias istas.

*Influxus  
corporum  
Coelestium*

VIII. Persuasum fuit plerisque Peripateticorum, astra bene multas, diversasque affectiones terrenis rebus imprimere. Qui vero ad rationis & experientiae tribunal causam hanc, gravissimam quidem, attulerit, deprehendet profectò a Syderibus in haec ima lucem, calorem, siccitatem, similesque affectiones immigrare, praeterea nihil. Nam quae de viventibus a Sole, plantisque productis, Veteres memoriae prodidere, repudiamus ut vana. Ad extremum impetimus Astrologos, quos vocant *Iudiciarios*, genus hominum totum ex mendacio, & fraude compositum. Expiscantur hi, sed inanissimè, ab stellarum motu mortalium eventus, eos etiam qui a liberrima voluntate pendent. Sunt qui in Horoscopis aucupandis vitam traducant. Vah putidos Sycophantas! Quas alii de influxu Aereoscopio venditant ariolationes cassa glande non emimus. In eamdem classem coniicito Brizomantiam, Onomantiam, Geomantiam, similesque artes fallaciis inventas ad quaestum, ad superstitionem, ad errorem.

IX. E sublimi Coelorum in hac ima dilabimur,

Ele-

Elementa, atque ex his conflata corpora, lustraturi. *Elementa.*  
 Elementa nobis sunt corpora non concreta, in quae tandem alia resolvuntur. Continentur illa principiis Peripateticis materia, & forma. Quatuor numerantur, nisi quis aether adiungat tanquam ab illis diversum, de quo non magnopere contendemus. Non defaecata illa sunt, sed ex variis aliorum particulis concreta, atque nativo statu disturbata. Gignuntur, & intereunt, non coniunctis tantum, vel distractis, dispersisque particulis, sed vel genita substantiali forma, vel amissa. Nulli elementorum absoluta levitas. Nam licet quae-dam in Coelestem locum recta sublevent, non id fit natura ipsa superiora appetente, sed quod a gravioribus natura pellantur. Eadem, vel nativis regionibus quiescentia, subiecta corpora indesinenter premunt.

X. *Terra.* Terrae nomine Elementum illud significamus, quod infimum tenens locum, siccum est, in primis grave, cuiusque superficiem innumera plantarum, herbarumque genera exornant, ac vestiunt. Eadem per intervalla in planities fusa patet, montibusque extuberrans, vel ante Noeticam alluvionem. Tametsi fate-mur, telluris faciem diluvio valde mutatam fuisse, tuncque denuò editos nonnullos montes. Assurgunt in dies alii hominum industria, aquarum turbinibus, terrae-motibus, crebris globi terrauei mutationibus, nec non petrificatione plurimorum corporum, quemadmo-dnm repetitis experienciis admonemur, confirmavitque peculiari Dissertatione Benedictus Feijoo, in qua nihil est quod acre iudicium, summam doctrinam, eximiam eruditionem non referat. Eiusdem opera iuvabimur in adperienda via, qua fera animantia in Americam penetrare potuerint.

XI. Amplissima parens tellus alit gremio suo calorem, ignemque assiduum. Sunt enim in multis locis

E

py-

*Corpora  
subterra-  
nea.*

pyrophylacia, cavernae scilicet refertae nitro, sulphure, bitumine, quorum particulae acri colluctatione, illis que excandefiunt, atque exardescunt. Hinc terraemotus, hinc montes ignivomi. Quamquam non diffitemur, maximam inesse probabilitatem tribuentibus ea phoenomena copiae vaporis electrici, in terrae visceribus occlusi. Sunt etiam aerophylacia, quae non vertuntur in fontanas aquas. Latent igitur in terrae gremio fossilia corpora, quorum alia nativa sunt, scilicet ibidem genita, ut bitumina, sales, sulphur, metalla, lapides, gemmae; extranea alia ut ligna, plantae, piscium, quadrupedum offa, ignoto casu in terrae penetralibus sepulta. Haec licet ad naturalem potius historiam, quam ad philosophicam disputationem attineant, sat copiosè a nobis illustrabuntur. Ne nihil omnino definiamus, dicimus, Testacea illa, atque Crustacea, quae nedum in pluribus Europae, sed etiam Asiae, Africae, & Americae locis, a mari licet perquam dissitis montium stratis interspersa reperiuntur, non casu, non ab universali diluvio eò usque delata, sed a mari, sensim imminuto, relicta fuisse.

*Aqua.* XII. Aqua licet elementorum limpidius habeatur, scatet tamen tenuissimis aliorum particulis. Ad illius constitutionem alii rotundas, exileisque atomos, alii angulatas, implexas, cubicas, alii oblongas anguillarum instar flexiles, alii alias pro libidine fingunt. Nos haec nihil moramur, quibus elementorum omnium compositio tribus voculis expedita est, materia, forma, qualitate, eademque ignota, quod in abstrusis naturae cur pudeat profiteri? Notiora rimemur. Aqua, si amota omni externi corporis impressione, spectetur, solida potius, quam fluida putanda est. Quae nostris interficit usibus, frigiditate, humiditate, fluiditate afficitur, impari tamen gradu. Maris (quod quid rei sit,

ne-

nemini non notum) amarulentiam a salis fodinis, quibus inspergitur, & bituminosis, sulphureisque particulis derivamus. Motus illius abnormis, & incertus ab aëre agitato pendet. Causam Occeani aestus investigandam mittimus iis, quibus licuit esse in re desperata curiosis. Ex maris aqua, latissimè per cavos, abditosque telluris flexus excurrente, dulces plerique fontes scaturiunt. Fontes, fluviique alii a pluviis solutisque nivibus originem repetunt. Illae etiam in causa sunt, ut flumina, quae iam a principio tumida labuntur, maiore in decursu aquarum influente mole, exudent, atque exuberent. Contigit saepè, minoris fluvii, & alterius maioris aquas in eodem communi alveo immisceri, ac fluere sine ullo profunditatis, & latitudinis incremento. Causa patebit suscitanti. Antiquas de capite Nili fabulas & novimus, & ridemus. Imbras in AEthiopia effusissimi efficiunt restagnantem Nilum. Quae nonnulli memoriae prodidere de lacubus, qui praegrandioris lapidis iactu concussi, tumultuantur, intumescunt, tempestatesque excitant, splendida mendacia putamus.

XIII. Inter aquæ meteora recensentur nubes, nebulæ, pluvia, ros, aura serotina, pruina, nix, grando. Communis illis materia vapor est, qui quam varie ad illa edenda affiliatur, dicemus in palaestra. Attollitur vapor idem, non Cartesianaæ ullius materiae, non ignearum particularum ope, sed Solis, ignisque subterranei, tandiuque supra consistit, donec vi frigoris densior, graviorque effectus, ima repeatat. Veteres, qui erant fallendi libidine, pluvias nobis obtrusere saxeas, ferreas, aureas, argenteas, lateritias, carnium, ranarum, murium, in queis non puduit quosdam philosphari, & ad ineptias ire. Verum non adeò nobis fordet tempus. Ad sanguineas quod attinet, nemini post

*Corpora  
aquatica.*

accuratas Perierkii, Gassendi, & Reamuri observatio-  
nes dubium esse potest, guttas eo colore tinctas, quae  
post pluviam in parietibus conspicuntur, non e Coe-  
lo cum pluvia decidisse, sed oriri ab involucris, quae  
parietibus adhaerentia, relinquunt Chrysalides, dum  
in Papiliones media aestate convertuntur, & avolant.  
Non praetermittenda mel, saccharum, manna, non  
illud quidem Hebraicum, sed quod mel etiam dici so-  
let arboreum. De his, itemque de Thermis, & Mine-  
ralibus aquis percontare.

*Aer.* XIV. Aër fluidum corpus est, terraqueum circum-  
ambiens globum, in quo vivimus, ac movemur. Tota  
illius moles in triplicem regionem divisa est, imparis,  
ignotaeque altitudinis. Idem ipse pellucidus est, gra-  
vis, elasticus. Ex his affectionibus, densitate, raritate-

*Aeris do-*  
*tes.*

que adiunctis, tamquam ex uberrimo fonte illa manant  
phoenomena, quae in horrorem vacui refundere con-  
suevit Schola, nondum instructa luminibus experimen-  
torum. Aër animantium respirationi oppido quàm ne-  
cessarius est, nihil tamen prodest eorum nutritioni. Un-  
de mera fabella, Chamaeleonem solo aëre pasci. Quid-  
quid e terrae gremio iugiter exspirat, quidquid e cor-  
poribus avolat, quidquid vaporis subtilissimi ab aquis  
erumpit, id totum in se complectitur, telluri incubans  
aër. Ad frigiditatem pronior illa natura, quàm ad co-  
lorem. Sed agitatus non est immoto frigidior. Non-  
dum licet ultra atmosphaeram evolare. Ventus obstat,  
*Ventorum*  
*causa, &*  
*natura.* qui aëris fluxus est. Non una causa venti. Halitus, va-  
por emissus, calor solaris, ignis subterraneus, descen-  
sus pluviae, nivium delapsus, & quaelibet causa alia  
commoti aëris, ventum excitabit. Qui ab orientali pla-  
ga iugiter spirant venti, non de Cartesiana fluida ma-  
teria, sed a calore Solis exoriuntur. Nolumus heic  
tempestates excitare. Typhonem, Praestera, Ecne-  
phiam,

phiam, Exhydriam, ventosa nomina tacemus, quae qui volet in exedris inducta videbit.

XV. Ignis natura lucidus, extructis tot Physico-  
rum hypotesibus, effectus est longè obscurus. Nihil sanè frequentius, quam ignem maximam sui quantita-  
tem producere sine proprii motus iactura; ast nihil hu-  
ius rei causa magis impervium, atque involutum. Er-  
go fatius erit, naturae, extricatu adeo difficilis, no-  
tiora adperire. Pabulo ad sui conservationem eget ig-  
nis, cui maximè conferunt olea ex terra, vegetabili-  
bus, animalibus, nonnullisque fluidis extracta. Ne-  
cessarius quoque aër, qui nec densior, nec rarer sit.  
Terrestris ignis non pollet calore summo. Flammae  
conica figura a fluido circumpremente advenit. Latet  
ignis per omnia spatia per omnes ferme corporum po-  
ros diffusus, illorumque attritu colligitur, atque exci-  
tatur. Illum sub Luna continenter ardere, somnium  
est, quod usque miramur, arrisisse viris alioqui iudi-  
cii subactissimi. Tantillum est purioris ignis pondus,  
ut nullo experimento valeat explorari. Hucusque tra-  
dita circa naturam ignis digitis, & aure callenda sunt,  
ut facilis subiectorum phoenomenorum expositio pa-  
teat. I. Vegetabilia semiexsiccata, in aggeres extructa,  
altae etiam sordidorum pannorum moles, ignem quan-  
doque concipiunt. II. Ingentes silvae, magna vento-  
rum vi agitatae, non rarò in apertum incendium eru-  
pere. III. Fumus, & fuligo in flamمام facile redeunt.  
IV. Ignis sub cineribus conservatur, terra, seu alio  
denso corpore coopertus, extinguitur. V. Flatus ve-  
hemens flamمام extinguit, modicus auget. VI. Car-  
bo, humiditatis expers, aegrius in flamمام abiit,  
quàm lignum, aquosis particulis concretum. VII. Flam-  
ma lucernae dum accenditur, ostendit fese tenuem, &  
caeruleam, dum ultro extingitur, vividiùs lucet, at-  
tol-

*Igneal phoe-  
nomena.*

toliturque altius. VIII. Flammae duae quum appropinquant invicem , altera ad alteram ante contactum accedit , simulque in unum veluti conum adiunguntur. IX. Fummi virgula ex lucerna, recenter extincta, prodiens , si ad flammarum alterius lucernae appulerit , incenditur, acceptamque flammarum lucernae communicat.

*Meteora  
ignita.*

XVI. Adoriamur ignita meteora , in quibus principem sibi locum magno facit strepitu tonitruum. Illius ea causa est , quod vel vibretur electricus vapor , vel concurrentes exhalationes ventum comprimant, qui indignatus , magno cum murmure claustra rumpit. Eadem congressio fulgur , sive fulgetrum parit, quum ignem in exhalationibus conceptum latè explicat. Eadem denique pugna particularum nitrosarum , sulphurearum , adustarum, rubente dextera iaculatur fulmina, quae licet interdum è tellure erumpant , saepius tamen ad terram intorquentur e nubibus, secus ac sensit Maffei. Obliquus fulminis motus potissimum in causa est, cur editiora montium iuga crebro de Coelo tangentur. Sonitum aëris campani conferre longius arcendis nubibus a turre dissitis , illis vero huic incumbentibus , creare fatale exitium, tristissimis experimentis admonemur. Causa non erit incompta quaerenti. Eisdem , quibus fulmina , causis adscribimus globos igneos , qui longa saepius instructi cauda, in aëre conspicuntur , quibusque tanta vis , ut in terram non sine fragore desiliant , arbores evellant , firmiora aedificia solo aequent, ventos excitent rabidissimos. Exhalationes insuper vaporibus immixtae, vel si mavis , electrici vaporess , uberrimam praebent materiam ignibus iis concipiendis , quibus a figura adhaesere nomina pyramidis , clypei , trabis , stipulae , facis , columnae , caet. Eò quoque referimus exiguae flammulas , quae saeviente tempestate , ad navium aplustria , funes , aliaf- que

que partes volitant. Circa ignes fatuos, sive ambulones singularis extat opinio Scheuchzeri, & Ray, qui eos lucidarum muscularum congeriem autumant. Sed ineptè. Quae vero ludibria saepenumero parat natura in phoenomenis lucidis, & emphaticis oculos potius pascunt Philosophorum, quam animo satisfaciunt. Nos ut chartae parcamus, quae circa Iridem, Halonem, Virgas, Parhelium, Parasalenen, caet. occurrunt observatu digniora, paucis commemorabimus. Neque tacebimus phoenomenon illud, quo Septentrionalis Coeli plaga interdum emicat flammis hinc inde serpentibus, siccirco Aurae Borealis nomine adpellatum.

*Phoenome-  
na empha-  
tica.*

## PSYCHOLOGIA.

I. **P**ostrema Physicae pars est, aliis omnibus facilè anteponenda. De corpore enim vivo, seu animato verba facit. Est autem vita motus immannens ab intraneo principio exortus, quo agens, in nativo statu constitutum, valet se ad alios actus applicare. Quae heic observanda occurrunt, dicemus e fugestu. Intraneum illud principium vocamus animam, de qua erratum est in veteri Philosophia, quantum errari potuit. Nobis anima non igneum quid est, non aëreum, non aqueum, non structura partium elegantissima, sed nobilior viventis substantiae pars, quae materiae tribuit speciem, quaeque ope ex ea prodeuntium qualitatum aptat corporis organa ad vitae functiones obeundas. Pressius: Anima in universum Entelechia est, sive forma corporis potestate vitalis. Viventium genera sunt in triplici differentia, & vegetationis, & sensus, & rationis capacia. Vegetante anima donantur plantae, cuius vi & energia e terra prodeunt, nutriuntur, adolescunt, caet. Caveto idem lapidibus, metallisve

*Notio vi-  
tae.*

*Anima in  
universum.*

*Anima ve-  
getativa.*

lifve tribuas. Illae ex terraे fertilitate sine semine, vel stolone non oriuntur. In semine apud Peripateticos vis quaedam plastica, scilicet occulta, & docta qualitas molitur oeconomiam corporis. Placuit nonnullis veterum adscribere plantis sentientem animam, tametsi obtusiorem, quam opinionem non verebimur cum D. Augustino *impietatem rusticam* dicere. Stupidiores Manichaei, qui Anaxagorae, Democriti, & Empedoclis recocta crambe, plantas rationis compotes fecere, quorum proinde ne ramus quidem sine homicidii reatu violari posset. Insana capita! Nosse plantarum genera sibi iure suo vindicant Botanici. Id unum competum habemus, fungos & mucorem marcescentium fructuum non esse inter veras plantas recensendos.

*Anima sen-  
tiens.*

*Natura  
animae bru-  
tae.*

II. De sentiente anima ita philosophamur, eam esse formam Peripateticam, substantiam scilicet individuam, sponte corpoream, cognitionis, & appetitio- nis capacem. Mira adeo deprehenditur corporis animati structura, nedum in hominibus, ac perfectioribus brutis, sed in tenuissimis etiam animalculis, infectis Ephemeris, ut imperfecta ulla esse, iniuria existimentur. Ad belluarum animam quod spectat, antiquitus ea tenuit opinio, particulam esse aurae Divinae malè hospitio exceptam, cuius vitio vertendum esset, ne perfecta uterentur ratione. Somnia. Bougeantius credit Doemones ob patratum scelus in brutorum corpora detrusos, eisdemque coniunctos, ut rationalem animam humano corpori. Fabulae. Non defuere qui illam humanae menti simillimam dicerent, eisdemque instructam ornamentis, immortalitate, libertate, caet. Deliria. Calmetius, Genuensis, alii spiritum quemdam minorum gentium brutorum animam fecere, sed invitatis naturis. Sunt qui eidem, tametsi corporeae, rudem quamdam rationem adscribant, sed quibus non premi- mus

mus utrumque pollicem. Cartesianam quoque opinionem de nudis automatis, a Deo Artificum Optimo fabricatis, perquām aversamur, rati, eos qui omni prorsus cognitione belluas exuunt, praepostere, atque imperitè philosophari. Eò recidit Maignani, & Gassendi opinio, qui eorumdem animam existimant, florem esse delibatum sanguinis, aut flammulam per corpus iugi motu diffusam. Nos vero temperatioribus acquiescentes Philosophis, superiùs traditam sentientem animam brutis vindicamus. Verbo: tuemur brutas pecudes instinctu regi, ratione non uti.

III. Nobilius aggredimur animatum corpus, scilicet humanum. Fovetur anima praestantissima, cuius naturam, & originem animo ipso videre praefat, id quod est in Philosophia maximum. Indi, Ehaddaei, AEgyptii, Alexandrini, Cabbaliani, Pythagoraei animum Divinitatis decerpitam particulam emanatione quadam arbitrabantur. Pinguissimum hunc errorem postremis temporibus Poiretus, Tollandus, aliquique Spinozae Satellites impiè refricuerunt. Plato cum suis Academicis animum vult esse decissum ab ipsa Mundi anima, cui propterea ex parte quadam fordes materiae admiscet. Aristoteles heic attramento se suo promore, tanquam sepia, obduxit, vocem commentus *Entelecheiam*, quae tot lites genuit. Epicurei animum ex corpusculis aëris, vaporis, caloris, & mobilissimae cuiusdam naturae conflavere. Horum recocta deliria apud exteris gentes aetate nostra sub auspiciis impie-tatis, & audaciae impunè grassantur, ac pleraque decentat ad rasim Gallus Poeta Voltaerus, qui acuto suo gallicinio non paucos ad impietatem, ad insaniam excitavit. His verò tetrior Helvetius, qui eò usque infanivit furens, ut scripserit, humanam naturam a belluina organorum sola structura differre, digitis prae-

fertim & ungulis. Age vero humanae illa naturae propudia stilo transfigamus. Cogitatio intrinsecus adeo pugnat cum materia, ut nec divinitus ipsi concedi valeat. Hinc iure evincimus, intelligentem humanum animum incorporeum esse, simplicem, individuum, ac licet e corpore solubilem, immortalem. Veritatem hanc Libertinis omnium ingratissimam, iis argumentis eruditur, quae si non protervum, ac repugnantem vincent, certè docilem hominem, atque ad disciplinae leges benè informatum. Cogitat animus cum se, tum ea, quae extra se sunt, non ita tamen, ut non valeat unquam à cogitatione cessare. Unde refellitur Cartesius, qui essentiam animae in actuali cogitatione sitam arbitratur. Refellendus quoque Leibnitius, qui illam dixit vim representativam universi, ab organorum dispositione, & situ corporis limitatam.

IV. Animorum nulla in terris origo, quum neque ex materia vel divinitus oriri valeant, neque a parentibus in filios, ut somniarunt quidam, propagari. Itaque ab uno Deo e nihilo creantur animae, non eo tempore quo Leibnitius, Wolfius, Duvigerius arbitrati sunt, sed quum apta ad vitales motus peragendos organorum dispositio habetur. Ac si fidem Thomasianis nostris, quod par est, adiunxerimus, donantur illae a Supremo Conditore impari perfectione individua. Anima ergo nobilissima regitur humanum corpus, non ut sessore equus, nauta navis, sed uti substantiali forma sibi intrinsecus, aliarum instar, copulata, cuique praecipuas dotes acceptas refert. Qua via tutius consultum iri arbitramur sapientissimis Ecclesiae iussis de Anima Rationali asserenda vere, *per se*, & *essentialiter forma humani corporis*, quibus religioni, duximus, non obtemperare. Ab anima vis motrix, vis vegetans, vis sentiens, proportione inita, fluit in singulas corporis par-

partes, quibus velut toti, tota quanta est, praesens ad-  
iungitur. Hinc confutanda quae de animi sede in tho-  
race figenda Parmenides, in corde Xenocrates, in san-  
guine cordi suffuso Empedocles, in sinistra cordis ca-  
vitate Diogenes, in ore stomachi Vah-Helmontius, in  
capite, velut in arce praefecti Tullius, in interstitiis  
superciliorum Strato, in meningibus Rosetti, in glan-  
dula pineali Cartesius, litteris prodidere. Tandem,  
quae arrisit plerisque Novatorum opinio, in cerebro  
locans sedem animae aegrè admodum cohaeret cum  
observatis animantibus, avulsis cerebro, & spina dor-  
si superstitibus.

V. Quae vero res una est ad explicandum difficil- *Commer-*  
*cium ani-*  
*mae cum*  
*corpo.*  
lima, coniunctio intima, quam Noviores *Commercium* cium ani-  
vocant, corpus inter & animum, ea iam diu coegit an-  
tiquos sapientes, ut eorum alii binas animas, spirita-  
lem alteram, alteram corpoream, comminiscerentur; alii  
plures unius animae partes dividerent vel re, vel co-  
gitatione tantum. Eadem Iuniores Philosophos eò du-  
xit, ut non pauci cum Gassendo florem quemdam ma-  
teriae concitatissimae, instar flammae cuiusdam, ani-  
mam medium in homine ponerent, sed exolevit opinio;  
alii Cartesio, & Malebranchio ducibus sublata com-  
munione agendi, docerent, Deum ex occasione actio-  
nis, corpori impressae, actionem animo imprimere, con-  
tra vero Deum agere in corpus, ab animo occasione  
data, unde sistema inscriptum causarum occasionalium;  
nonnulli Leibnitii harmoniam praestabilitam, in Scho-  
las inuestigantibus obstatricante Wolfio, gratissimam habe-  
rent, qua arcanam illam societatem explicit per se-  
ries perceptionum, & appetitionum in animo, & mo-  
tionum in corpore, per utriusque naturam omnino in-  
ter se consentientium. Utrumque tueri veluti aqua, &  
igne nobis interdictum est. Hinc enim pessum dari li-

bertatis iura, hinc foveri *Egoismum*, *Idealismum*, hinc fluere incommoda alia, necessum est, quibus patefit, Iuniores Psychologos Veteribus non feliciores fuisse, sed audaciores. Praefat ergo, commercium illud a systemate influxus physici repetere, quin opus sit illius virium transmutationis, qua Leibnitius impedit opinionem nostram, cuiusque apud D. Thomam, systematicis eiusdem assertorem, nec vola quod aiunt, nec vestigium.

**VI.** Habet animus facultates suas, quae sint *Pe-*  
*Facultates* *ripateticae* qualitates, aliae incorporeae, corporeae  
*anim. e.* aliae. Eamdem hic tibiam inflant Recentiores, sed sur-  
dis canunt. Externas facultates paulo post, internas, &  
corporeas ita persequimur, ut & sensum communem,  
& phantasiam, & aestimaticem, & memoraticem pro-  
bemus, variis cognitionis muneribus obeundis. Mens  
*Origo cog-* ad cognitionem ita comparata est, ut rerum cognos-  
*nitionum.* cendarum formas induat, retenta propria. Inde nece-  
fitas specierum, quae sensibus non sunt a natura indi-  
tae, sed advolant e corporibus, nec propterea sunt  
extimae illorum pelliculae, per aëra graffantes, nec  
erumpentes halitus, nec nudae fibrarum commotiones,  
nec fallacia spectra, vel solae perceptiones animi, sed  
formae intentionales Aristotelicorum, iis simillimae af-  
fectionibus, quibus ornantur sensibilia obiecta, nimi-  
rum calore, luce, frigore, quantitate, caet. Valeant  
Cartesius, & Malebranchius.

**VII.** Modò phantasiam cursim adgrediamur. Mi-  
rificam illius vim optimè perspectam habuit, illuftra-  
vitque edito opusculo, succi pleno, immortalis memo-  
riae Vir Muratorius. Eiusdem influxum in maternos  
foetus imminuit Blondellus, cuius argumenta ad seve-  
rae criseos trutinam expendit Benedictus Feijoo. Ve-  
rūm de his in concione nostrum interponetur iudicium,  
ubi

ubi benè multa de somno, insomniis, sonambulis, caet. quorum heic meminissimus, ni Lectoris satietati, & taedio esset occurrentum. De caeteris internis facultibus dabimus selectiora.

VIII. Ab illis ad externas eiusdem generis proferamus, quas forinfecus velut ad excubias natura constituit, nimirum sensationibus peragendis. Eo nomine intelligimus mutationes in sensoriis factas, vique ipsorum structurae ab anima perceptas. Recentiores velis, quisque contendunt, corpora, quum in organa impingunt, pro modulo nerveas tantum percellere fibrillas, spiritusque animales intra illorum tubulos excurrentes, quibus administris anima in cerebro, quo illi appellant, velut Regina in Sede Imperii admonetur de impressione facta, quam mens cogitando percipit. Nos vero, quibus altè infedit opinio de diffusione animae per singulas partes corporis, ab iis defletimus, adferentes, organa sensoria pollere activa quadam vi, atque in eis quadantenus perfici sensationes.

IX. Si quam de externis sensibus disputationem inire placuerit, in ipso aditu controversi organi accuratam prodemus structuram. Modò inspiciendum qua in parte singulorum sensuum vegetior sit organi vis. Atque ab oculo, omnium delicatissimo, initium auponentes, negamus, visum perfici in humore crystallino. Perperam Mariotte cum aliis fundum Choroidis appellat organum visionis. Neque id locari valet in concursu nervorum opticorum, sed in retina, in qua elegantissimè pinguntur obiecta corpora. Ita iucundissimo fruimur adspectu luminis, & colorum, in quorum natura investiganda planè caecutimus. Cartesius heic pro more suo vortices implorat. Newtonus effluvia adstruit subtilissima e corpore lucido iugiter emanantia, rapidèque vibrata in omnem partem. Alii hypotheses alias

*Sensatio.*

*Sensuum  
organæ.*

*Visus.*

*Naturali-  
cis.*

*alias*

*Natura co-  
lorum.*

alias obtrudunt, sed inter tot Physicorum ambages nihil est, quod nobis faciat satis. Unde ad salutis aram, nimirum abditas qualitates, quibus potissimum accensimus causam refractae lucis. Acrior de natura colorum controversia viget, cui illustrandae sedulò incumbere Recentiores, quorum singulas commemorare hypotheses, perquām molestum est, perquām iniucundum. Praecipuis ita valedicimus. Coloris caufa non lux sine ingenita, sine hospes, non ignis sepultus est, Keplere; non globuli tui circumacti, Cartesi; non luminis radii languidiūs, fortiusve vibrati, Malebranchi; non una reflexa, aut refracta lux, Newtoniana Cohors; sed affectio sensibilis, ex varia corporeae superficie aptitudine, pororum situ, luminis affluxu coalescens. Inter colores quinque principes, aut primigenii nominantur, niger, flavus, ruber, albus, & caeruleus, e quibus varie immixtis, adumbratis, opacitatis, diaphaneitatis ratione habita, multiplices alii nascuntur, fugaces praesertim, ac versatiles.

*Auditus.*

X. Auditus sensus est, quo sonum, voceſque excipimus. Praecipua vis extat in filamentis nerveis, quae ex molliori septimi paris ramo per intimum cochleae gyrum diffunduntur. Neque iccirco auditum perfici putandum est, quod molles nervorum acousticorum expansiones immediatè percellantur ab aëre, in labyrinthi cavitate contento. Nuperrimis enim, crebrisque observationibus compertum legimus, integrum labyrinthum aquoso quodam, tenuique fluido repleri, cuius existentiam experimenta Patavii, & Bononiae a Cl. Viris facta magis etiam confirmarunt. Exudat humor ille ab exhalantibus arteriolis in interna labyrinthi superficie patulis, & vicissim a venulis inhalantibus iugiter absorbetur. Primarius illius usus est, sonoros tremores excipere, eosque nimiam sonorum vim com-

peſ-

pescendo, lenius communicare mollibus nervis auditoriis, & interea nervos in debita molitie conservare. Sonus, quo ad hilaritatem, inquit Cicero, & ad tristitiam deducimur, potissimum ab aëre pendet, situsque est in tremula exiguis marum partium elastici corporis vibratione impressa, & ad aures usque delata.

XI. Olfactus, odorum iudex, locari nequit cum *Olfactus.* Gaffendo in oblongis illis cerebri productionibus, seu carunculis, quae ossi etmoidi ad narium radices utrinque incumbunt. Existit in nerveis filamentis sub membrana latentibus, quae narium anfractibus coextenditur. Recentioribus odor est subtilium corpusculorum halitus, qui vel fortuitò in nares impingentes, vel inspiratione attracti, illarum vellicant papillulas, & pro figurae genio sollicitant. Nos licet odora corpora in subtilem halitus attenuari, putemus, quibus insitus diffundatur odor; hunc tamen adscribimus Aristoteleis qualitatibus.

XII. Gustus, ad sapores explorandos natura compositus, iis nerveis papillulis affixus est, quae sub extima linguae tunica delitescentes, ad linguae fere superficiem appellunt, alisque etiam oris partibus, illarum instar papillosis. Hae quum in apice, planicie, & lateribus linguae ubiores sint, viget inibi gustus citior, & acutior; indeque fit linguae cuspede sapores explorari. Visne sapores ad palatum efficiens Recentiorum? Sales ex eoque sulphure, & mercurio, quibus illi aculeati, pungentes, duri fiant, vel contrà molles, flexiles, retusi, atque ita varie papillulas afficiant, ac titillent. Nobis vero licet sales apprimè sapiant, non id praestant figuris illis plerumque ementitis, sed insita qualitate.

XIII. Tactus, sensuum diffusissimus, quo calida, *Tactus.* frigida, dura, solida, humida, sicca, lenia, aspera idque

que genus alia affecta corpora experimur, residet non in carne, sed in nerveis fibrillis, ad cutem promotis, & in cuticulam tandem desinentibus. Sensus iste, licet in plerisque obtusus, in nonnullis tamen caecis hominibus exquisitissimus adeo deprehensus est, ut illius ope, ea ediderint artis miracula, quae vel peritissimos in admirationem traxere. Haec pluraque alia cognitu dignissima praeterire cogimur angustiis positionum, ast in concione illarum cupidis minimè invidebimus.

*Intellectus* XIV. Ventum ad incorporeas animi facultates intellectum scilicet, ac voluntatem, quarum illa versatur in inquisitione veri, ad quam stimulis ingenitis incitamus omnes. Intellectus nedum alia a se, sed sua ipse arcana rimatur. Unde cognitionum inexhaustus fons. Angustiis tamen sensuum conclusus ille, vividiores corporearum rerum cognitiones adsequitur, spiritualium vero parùm nitidas. Ast rerum sensibilium simulacra in phantasia genita intellectum ad sui cognitionem minimè pertraheret, nisi irradiata spiritali quodam fulgore, qui intellectus agens a nostris appellatur. Itaque origo cognitionum a sensibus repetenda est.

*Modus cognitionis humanae.* Nos ita telam ardimur. Primum phantasia excitata sensibus, ideam sibi parit corpoream, quam cognitio sequatur eiusdem indolis. Deinde intellectus ille actor, phantasmate excitatus, ideam quamdam spiritalem veluti excudit. Tum intelligentia, sive mens instructa specie, aut impressa idea progignit intellectionem, verbum mentis, speciemve expressam. Haec saepè universalis, saepè singularis esse solet, nunquam tamen est, quin phantasma sit phantasiae praesens,

*Voluntas.* XV. Altera facultas animi voluntas est, qua vel bonum appetimus, vel malum aversamur, intellectu praferente facem. Nihil omnino est in naturis rerum, quod uti bonum nequeat ab intellectu voluntati pro-

po-

poni, unde amplissimum consurgit illius facultatis obiectum. Ea tamen, quanta est, intellectui subiacet, pri  
masque defert. Utraque facultas suis pollet operatio-  
nibus, quas explicare aggressi Recentiores, spiritales  
nescio quas modificationes crepant, quibus nullo esse  
denuò superaddito, perficiantur, si Diis placet, fa-  
cultates illae. Nos avitam retinemus Scholae doctri-  
nam, quae operationes illas afferit entitates nativis  
principiis advenientes. Est cur improbemus etiam pro-  
batum Recentioribus sistema habituum supernatura-  
lium, Gratiae praesertim, in quo ad Ecclesiasticas de-  
finitiones exigendo praeclaros quidem ingenii nervos  
exeruit eruditus Saguens, sed credimus laterem lavif-  
se. Tandem Philosophiae cupidi saniori Theologiae  
consentientis opinamur, habitus rationalis animae ei-  
dem adferre novum esse, atque intrinsecus inhaerere.



## METAPHYSICA.

I. **L**ustratis primis Philosophiae partibus, no-  
biliorem adgredimur, nempe Metaphysi-  
cam, cui duplex pars, quarum altera ens  
in universum supra materiam positum investigat, id est  
sola mente perceptum. Haec Ontologia dicitur, estque  
humanae scientiae culmen, & apex. A cuius studio ii-  
tantum abstinuere, qui vel naturae vitio, vel ingenii  
hebetudine, vel laboris detrectatione exosas habuerunt  
optimas Artes, quibus iure suo adnumeranda est On-  
tologia. Innititur haec variis, stabilibusque principiis,  
inter quae primum putamus complexum illud: *Impos-  
sibile est, idem simul esse, & non esse*, quod contradic-  
tionis dici solet. Ad eamdem rimari attinet principia

G

*Actus, &  
habitus in-  
tellectus,  
ac volun-  
tatis.*

*Ontologia.*

*Principia  
cognitionis  
& entis in  
universum.*

entis latissimè accepti , nimirum actum , & potentiam , de queis rogati bene multa.

*Notio essentiae.* II. In ente generatim accepto prima se se offert essentia , qua illud intrinsecus constituitur , & a non ente distinguitur. Illa dum existit , mutationi obnoxia patet , ut intelligibilem tamen immutabilem , & necessariam tuemur contra Poiretum , & Cartesium.

*Existentia.* III. Essentiae rerum in lucem profilire nequeunt , non accepta existentia , quam ut novam perfectionem essentiae advenire , docet perpetuò D. Thomas , cui in Schola libenter assurgimus. Verùm illis ante existentiam opus est alterius perfectionis , qua sui iuris effectae , in se ipsis constent , aliquique non egeant neque ad existendum , neque ad operandum. Inde genuinus apparet subsistentiae character. Dein spectanda venit po-

*Potentia quodlibetica.* tentia illa quodlibetica , seu obedientialis , quam creatis causis asserimus , ut a Deo intrinsecus roboratae , insolitos , atque extra naturae vires positos edant effectus. Hinc refellendi qui potentiam illam a naturali indistinctam credunt , paremque effectis quibusque producendis absque additione virtutis internae.

*Attributa entis.* IV. Generales entis affectiones properanter lustremus. Unitas , cuius notionem dabimus , triplex occurrit , generica , specifica , individualis. Circa istam habeto capitale nostratum dogma. Materia quantitate affecta in causa est , ut substantiae intra eamdem speciem , solo numero differant , ac multiplicentur. Ad accidentia quod attinet habenda est ratio naturarum quibus insunt , itemque actionum , quibus efficiuntur , durationis , caet. Huc pertinet distinctio , cuius varia genera designabimus , quaeque adducta ad praedicata metaphysica rerum aeternas illas , acresque concertationes creavit , in queis non semel in Schola spiculis saevitum. Praestat rem paucis transfigere. Inter illa prae- di-

*Distinctio num genera.*

dicata quo pacto adparent animo, non Scotianam, vel quam aiunt *formalem ex natura rei*, non virtualem illam plus aequo maiorem distinctionem probamus, sed quam mens pro imbecillitate obiecta praescindens, ipsis non temerè affingit. De veritate, bonitate quae temperatum Philosophum decent disputabimus.

V. Altera Metaphysicae pars Pneumatologia, in spiritibus naturae lumine cognoscendis tota versatur, quos inter principem locum sibi iure suo vindicat Deus. Huius planissimam existentiam adversus eos qui se iatant *spiritus fortes* aeneis illis argumentis commonstrabimus, quibus nefaria illa capita, ex omni insaniae genere, ex omni immanitate concreta, atque conflata, iam pridem in pulverem contrivit Angelicus. Est autem Deus ille omni ex parte beatus omni genere ornamentorum, inter quae vividiùs emicat ratio Supremi Conditoris, qua nullius opis indigus e nihilo cuncta creavit, etiam materiam primam. Haec adeo singularris est Numinis sui dos, ut nulli creaturarum tribui quocumque pacto possit.

VI. Angeli, quos *mundissima Divinitatis specula* meritò appellat Dionysius, substantiae sunt spiritales, absolutae, nullique destinatae corpori. De his pauca novit ratio, uberiora Fides suppeditat Theologis. Extare nobilissimos hos spiritus, non uno arguento suadebimus. An Ethnicis cogniti sint nominibus Geniorum, Larvarum, Lemurum, caet. Iis est eruditarum frontium, a qua abstinemus modò, tametsi inficiamur, Virunculos, sive Lemures, qui domos cursitare, mira, versatilique specie, Pygmaeorum praesertim, sese spectandos exhibere, feruntur, vel bonis, vel nequam Angelis esse adnumerandos. Quin de illorum existentia impensè addubitamus. Nam quae de Genio Socratis Veteres litteris consignarunt, ea nobis

*Cognitio Angelorum*

maxima ex parte AEsopum olent. Quoad reliqua, iis adhaeremus, qui Socratis Genium Philosophi ingenium fuisse, putant, rerum usu, ac prudentia perfectissimum. Donantur Angeli a Deo speciebus infusis, quibus clarissima fit naturalium rerum ab eisdem parta cognitio. Nulla eis ratiocinatio est. Praesunt corporibus cunctis, atque nonnullis ex aëre potissimum ab eisdem mirè conflatis, assumptisque, mortalibus conspiciendos praebent. Invaluit apud ignaram plebeiorum in culam, posse Doemones nativis viribus, mutata corporum structura, eisdem, humanis etiam, novas formas adiicere. Abnormis haec opinatio habenda est velut Paganicae Theologiae ramusculus, non amputandus tantum, sed radicis etiam evellendus. Neque ictus circulo Angelis potestatem negamus, corpora in dissita loca transferendi, tametsi fatemur, plerasque Magarum, Sagarumque transmigrationes vel splendidissima sensuum ludibria esse, vel insanarum somnia foeminarum.

*Anima separata a corpore.*

VII. Quoniam vero anima corpori superstes est, iterum novo aspectu Metaphysicis obversatur. Qua in parte itum etiam a veteribus in aperta deliria. Qui animos e divinitate decerpitos docuere, hi Metempsychosim consecutione doctrinae retinebant. Stoici post mortem animos in astra vocabant, velut scintillas in maiorem ignem. Peripatetici, credimus, restituebant aetheri, quod ab aethere mutuum accepissent. Sed haec ridenda potius sunt, quam seriis argumentis refutanda. Igitur animus, e corpore avulsus, verum intellectum, veramque voluntatem retinet, sed manet tantum radix facultatum sentientis, & vegetantis. Secum etiam in aliam vitam deffert comparatos habitus, & ideas cognitionum in hac luce elicitarum. Praeter has species aliae a Deo animis infunduntur, quibus cum perf.

ficiantur illae, tum distinctius repraesentent obiecta.  
Nihil heic de sublimi illa cognitione, quae piorum ani-  
mis, auspicato hinc immigrantibus, aeternum affulge-  
bit in Divorum Patria. Quem diem si viderimus!  
faxit Deus.

\*\*\*\*\*

## ETHICA.

I. **L**ucida fax est homini ad virtutem, & felici-  
tatem pergenti Ethica, seu Philosophia  
Moralis, quam sine phaleris, ac lenociniis  
vocamus Artem, dirigendis moribus institutam, se-  
cundum Divinam voluntatem ab ipso Deo humano ge-  
neri manifestatam per rectam rationem ad fruendum  
Summo Bono. Unde liquidò adparet, mores hominum,  
ratione ac iudicio tractabiles, materiam esse praeclarae *Eiusdem*  
*materia.* *Natura*  
*Ethicae.*  
huius artis, cui velut forma accedit eorumdem dire-  
ctio, innixa practicis illis, verissimisque principiis:  
*Summum bonum amato: Te ipsum conservato: Tempe-*  
*ranter, & iuste vivito, caet.* Hanc qui inter veras *Ethicae*  
scientias, easdemque practicas non cooptarit, nae irri-  
dendus est, & contemnendus. Verè a prudentia differt.  
Illi studio legimus veteres mirificè captos, quorum si  
vestigia pressissent Maiores nostri, non doluissemus,  
Optimam Artem tamdiu in Scholis iacuisse neglectam.  
Hauritur ex principiis naturae, & ex scriptis Philo-  
sophorum, illorum maximè, qui e Zenonis porticu,  
Scholisque graecis ad porticum Salomonis, & Con-  
ventus Christianos transiere. Puriores vero illius lati-  
ces manant ex Libris Proverbiorum, Ecclesiastes, Sa-  
pientiae, & Ecclesiastici. De idoneo eiusdem Audito-  
re praeclara monuit Aristoteles, nisi quod Iuvenes ab  
hac *Fontes Phi*  
*losophiae*  
*moralis.*

hac disciplina arcendos putat. Age vero illam auspicemur a Summo Bono, sive actionum nostrarum fine ultimo, *qui si ignoretur*, ait Tullius, *vivendi rationem ignorari, necesse est.*

*Notio finis  
ultimi.*

II. Admittamus, oportet, aliquem totius humanae vitae finem ultimum. Quo nomine illum significamus, quem propter se cupimus, reliqua omnia propter ipsum. Indeque perspicuè constat, fieri non posse, ut homo duplicem illius generis finem sibi in operatione praestituat. De finibus bonorum, & malorum statuimus, utrosque ad felicitatem ferri naturae impetu, dispari tamen via. Mali quippe, effreni proclivitate arrepti, in privata commoda ruunt ultra rationis metam, ac pro veris umbratica bona sectantur. Boni ex adversò felicitatem quaerunt, exactam ad rationis normam, & in iis rebus in queis certissimè reperitur.

*Notio sum-  
mi boni.*

III. Quodnam autem bonum illud sit ex appetendis summum, quò sunt omnia benè vivendi, rectèque faciendi consilia referenda, haud quaquam noverunt profani veteres Philosophi, quorum vita multis coquinata vitiis, quorum mentes infirmae, ac coelesti doctrina destitutae. Singulorum deliria persequi, hominis esset intemperanter abutentis, & otio, & litteris. Eas tantum impetus, quae altiores egere radices, omniumque primam Aristippi, & Cyrenaicorum voluptariam scientiam. Hi cum aliis Epicuri de grege porcis corporeas voluptates putabant summum bonum, digni propterea qui ad pecudes ablegentur. Hac super re nec grave nobis erit, nec difficile, contra quam sensit Tullius, causam ostendere, cur voluptates sensiles nos specie prima acerrimè commoveant, atque ab iis celerrimè fastidio quodam, & satietate abalienemur. Optima insuper valetudo, elegantia, pulchritudo, venustas, aliaeque corporis dotes alienae prorsus

sùs sunt a natura , & praestantia summi boni.

IV. Eruntne istud fortasse divitiae , fama , gloria , honores , dignitatum culmina , quibus inhiamus , in quae insano quodam animi tumultu connitimus , odimus vero eadem possessa ? Nihil videlicet est eorum . An temporalis vita ? Magnum quidem & animi , & corporis bonum est , sed fugax , & caducum . Illud in scientia animi frustrà omnino quaeras cum Herillo , Zenonis Auditore . Saniores Epicuri discipuli indolentiam nefcio quam , & tranquillitatem animi beatitatem existimant , cuius in hac vita assequendae spes omnino nulla est . Verbis praetereà ludunt . His miseriores Elipstici , ita adpellati , quòd summum hominis bonum in spe locarent . Quid igitur ? Eritne optimum bonorum virtutem exercere ? Speciosa haec fuit Zenonis opinio , probataque viris clarissimis , sed quae media cum fine imperitè confundit . An secundum naturam vivere ? Sententia praecedenti finitima , sub qua veremur etiam ne turpis Naturalistarum error delitescat .

V. Ubinam ergo beans bonum ? Surrigenda est *Felicitas naturalis* . altius cogitatio ad sublime illud redansque , Deum sci- licet O. M. ex quo bona omnia uberrimè manant , ac derivantur . Hic unus largiri nobis potest beatitatem omnibus numeris absolutam , quam tamen , etiam si naturalem , adipisci nequimus dum mortalem agamus vitam , sed quum corpore soluti in aliam advolemus . Ast nemini iccircò dubitare licet , quin nos , dum in vivis sumus , valeamus in perfecta beatitate potiri , in qua comparanda studia omnia , diligentiam , operam loce- mus oportet . Neque id putamus difficillimum , quum ne- mo sit rationis compos , cui non praestò adsint subsidia benè multa , quibus mortalis vitae cursum , quantum nostra conditio finit , felicissimè peragat . Unde in culpa hominis est , si veris animi miseriis torqueatur . Ve- rùm

rūm & hanc inchoatam felicitatem, quae futurae praelibatio est, incassum extra Deum in rebus humanis quaereretur, ni velimus ad perditissimos Epicureos declinare, qui, nisi impiè sublato Deo, negabant, iucundè, atque feliciter vitam trudi posse. Itaque nanciscimur illam, dum Deo uti suavissimo Patri, Optimoque Legum Conditori placidè adhaeremus cognitione, eaque non subtili, & arguta, sed simplici, ruddioribusque pervia, qua de Deo rectè sentiamus, ac praesertim de singulari illius in homines beneficentia. Cui accedit oportet, stabilis, & alacer voluntatis affectus, quo passionum impetus cogamus ad rationis libellam, quo nihil turpe, nihil inordinatum, sed ubique suavissimum honestatis splendorem respiremus. Haec de naturali felicitate adferenda duximus, cuius notionem si exilius ad calculos cum Scholasticis revocare iuverit, incunctanter negamus, sitam in actionibus mentis, & voluntatis, quippe quae unica contineatur operatione, quo in munere primas obtinet intellectus. Consistit ergo in contemplatione Dei, quantum ferant naturae vires, praestantissima.

*Actus morales.*

*Notio voluntarii, iliusque corruptrices causae.* VI. His praelactis indicandi gradus, per quos ad concupitam felicitatem ascendamus. Sunt hi voluntatis actus, exacti ad rationis amussim. Atque ut de illis quaedam in universum statuamus, retinenda est frequens illa apud Scholasticos notio voluntarii: *Cuius principium est intraneum cum cognitione finis.* Non unus voluntarii hostis, qui eidem exitium crebet. Siactus ineluctabili vi a nobis extorqueatur, de illius voluntario actum est. Unde evertitur violentia, quam D. Thomas *compellentem* vocat. Ignorantia quoque illi inimica, sed non omnis, de quo enucleatus in pugna. Metus ille, quo viri strenui, sive constantes percelluntur, imminuit quidem voluntarium, sed non funditus

per-

perimit. Concupiscentia exardescens dum stimulis appetitum in voluptates incitat; etiamsi vietrix, actionem non reddit involuntariam. De multiplici rei huius divisione in loco agonali. Heic vero indictam nolumus actuum illorum accuratam seriem, quibus homosciens, prudens moralis operis oeconomiam exequitur. Duodecim numerant Nostrates in triplicem causam redactos. Illorum dicit agmen simplex apprehensio boni quae unà cum simplici illius amore, iudicio, & intentione versantur circa finem. Ad media executioni mandanda referuntur consilium, consensus, iudicium discernens, & electio. Tùm imperium, activus usus, denique passivus vergunt in finis possessionem, cunctorumque apex habetur fruitio. In his sigillatim explanandis, infibulandisque orationis filum latissimè ducent Auctores nostri, sed mittimus hoc saxum in arena volvendum.

VII. Modò expedire oportet, qua ratione humani actus *morales* constituantur. Persuasum est Philosophis quibusdam nihil interesse discriminis libertatem inter & esse morale. Sed valde eos fallit opinio. Sunt qui actum moralem fieri, arbitremur, per externam denominationem. Sunt etiam, quibus arriserit illum appellare enticulum rationis. Sed neutri perspectum, cognitumque habent esse morale. Rectius illud appellat D. Thomas Ordinem ratione institutum in actibus liberis. Apertius: relatio est de genere illo transcendentali, qua voluntatis actus in obiecta tendunt sive consona, sive dissona regulis morum. Si obiecta omni ex parte indifferenta appareant, eodem pacto illorum actus nobis obversabuntur. Ea tamen est hominum dignitas, ut quoties, ratione animadvertente, se ad opus accingunt, iubeantur honestatem amplecti; quod si fecerint, laudi ducetur, sin vero turpitudini. Hinc nulla homi-

nis deliberata actio vel rectitudinis, vel pravitatis omnino expers.

*Notio boni & mali.* VIII. Ut vero notionem boni, & mali, iusti, & iniusti acrius rimemur, placet ad fontem digitum intendere. Est autem fons honesti, & boni, seu princeps morum regula non hominum ingenio excogitata, non scitum aliquod populorum, sed mens omnia ratione aut cogentis, aut vetantis Dei. Apertius: Lex Aeterna. Quidquid huic consonat, rectum, honestumque, quidquid adversatur, iniquum, pravumque est. Unde primam iusti, & iniusti rationem, aut normam ab hominum iudiciis, privatisque commodis pendentem arbitrari, opinio est devovenda diris, qua nulla pestilenter, nulla societati civili perniciosior, nulla ad homines armandos accommodatior. Sed praeter illam proxima alia regendis moribus lex indita est homini, nempe Conscientia, de cuius notione, aliisque legum partitionibus differemus in pulvere.

*Affectio-nes animi.* IX. Nunc res ipsa postulare visa est, ut animi affectiones discutiamus, quo in munere Stoici ex veteribus acutissimè versati sunt, auctore Tullio, ex recentioribus egregiè præ caeteris adlaborarunt Emmanuel Martinus, & Gregorius Maiansius Viri ad litterarum, ad Hispanici nominis gloriam nati, de quibus posteritas nunquam satis amplè sibi praedicasse videbitur. Utrorumque fluentis hortulum rigabimus, ac praefrente facem D. Thoma, cum eo Passionem in universum dicimus: *Motum appetitiae virtutis sensibilis ex imaginatione boni, vel mali cum mutatione corporea.* Quae accurata passionis notio quantum caeteris antecellat, illius explicatione patebit. Solemne est Scholasticis, appetitum partiri in concupiscibilem, & irascibilem, quorum ille bonum nudè respiciat, alter difficultatibus circumventum. Primus alit amorem, odium,

*Natura  
passionis  
in univer-  
sum.*

de-

desiderium, fugam, dolorem, gaudium; secus spem, desperationem, audaciam, metum, atque iram. Celebris illa, acrisque Peripateticos inter & Stoicos ventilata quaestio de utilitate, pravitateve affectuum, pura puta fuit logomachia, quam componimus in hunc modum. Affectus, quos non regit rationis virgula, noxii, quos vero compescat ratio, honesti sunt, atque utilissimi. Ii tamen affectus dum voluntati incitamento sunt, eamque stimulis confodiunt ad honestum quodvis opus, huius laudi, honestatique detrahunt, secus si praelucens ratio, ac voluntas in honestatem alioquin satis devexa, passiones excitarint, quarum igniculis ardor, ac vigor instilletur operi. Haec de affectionibus generatim. Reliquum est, ut singularum naturam introspiciamus.

Amor.

X. Ab amore affectionum principe auspicari, opportet. Placuit Platoni illum adpellare *desiderium pulchri*. Sed perperam, nimisque angustè. Aptius iudicio nostro eumdem vocat D. Thomas *complacentiam boni*. Quàm multa quàm paucis heic complexus sit Aquinas, rogati adperiemus. Latent sub amore dilectio, benevolentia, concupiscentia, pietas, devotio, charitas, quae ut inter se differant, commodius in palaestra. Potentiores amoris causae videntur bonitas, & similitudo. Effectus penè innumeri, inter praecipuos recentur a D. Thoma Unio, Adhaesio, Ecstasis, Zelus, amantis Laesio, universalis influxus in actiones illius, Liquefactio, Fruitio, Languor, & Fervor. Amor præterea fovet odium, affectionem teterimam. Haec quàm uberem suppeditare possint dicendi copiam; agnoscet qui cupidum eorum, patientemque animum in certamen attulerit.

XI. Desiderium affectio est, qua prosequimur bonum absens. Aliis audit cupiditas, concupiscentia, li-

*Amoris  
causae, &  
effectus.*

*Deside-  
rium, il-  
liusque spe-  
cies.*

*Effectus  
desiderii.*

bido, quae quidem inter se discrepant. Medium viget desiderium amorem inter & odium, illiusque innumera propemodum genera reperire est. Clauduntur omnia sub naturali, & innaturali. Illud expletur facillimè, alterum, Danaidum instar dolii, nunquam exhaustur. Causam tradidit D. Thomas, eamque Angelico ingenio dignam. Quaesitus aperiam. Desiderium parit amor indigus, illudque velut istius comes ingenerat unionem, & ectasim. Creat insuper taedium, solicitudines erga rem concupitam molestiarum plenissimas. Inde suspiria, retenti spiritus quasi eructationes, assiduique in rem vetitam nisus. Eidem operis arduitas, lausque exoritura non raro vires adiiciunt. Rei vero facilitate enervatur, ac frangitur. De his etiam invitati e fuggestu latè differemus, itemque de fuga, quae iuxta desiderium posita, praeclarè elucescit.

*Delectatio*

*Delectatio  
num gene-  
ra.*

XII. Proximè his adiacent Delectatio, & Dolor passiones momenti maximi, aliarumque meta. Oritur prima ex possessione boni, estque velut pax animi tranquilla. Delectationes quaedam spiritales sunt, aliae sensibles. Primae ut puriores, ita excellentiores; ceterae tametsi minus nobiles, altius penetrant animum, ardenteriusque expetuntur. Cur ita? audies, si volupe sit rogare. Delectatio insuper alia concipitur suasu rationis; a natura alia proficiscitur, rationis expers. Delectatio, quae iucunda oris festivitate se prodit, hilarietas est, quae animum effundit, laetitia. Hac enim spiritus, quos opinio boni excitarat, rationisque imperium intra gaudii septa retinuerat, liberius evagantur. Eadem si nimia, diurna sit, forasque erumpat, vitiae detrimentum, & exitium quandoque affert. Affectio tandem, qua animus bono tactus ad remissionem inclinat, oblectatio dicitur; qua immoderatè effertur, ac gestit, exultatio; qua lasciviùs in risum profusorem erum-

erumpit, cachinnatio; si ob alterius incommoda, malevolentia est. Huc accedit alacritas, quae voluptas est ad promptè agendum impellens. Delectationem instillant opus non arduum, ac molestum, rerum varietas, vicissitudo, spes futuri boni; memoria praeteriti, non raro lacrymae ubertim effusae, dolor, luctus, etiamque veritatis, ac Philosophiae mater admiratio. Verum haec, occasione data, copiosius, accuratiusque expendemus.

XIII. Tristitia est animi aegritudo ex opinione praesentis mali. Illa si excruciat, animumque penetrat, dolor est, qui latissime excurrit per universas animi commotiones. Nam dolor ex interitu parentum luctus est; ex alterius rebus secundis invidentia; ex miseria alterius iniuria laborantis misericordia; ex alieno bono, quod ipse non habeas, emulatio; quod eo aliis etiam potiatur obtrectatio; ex re vel facta, vel praetermissa poenitentia; ex diffidentia rerum meliorum desperatio. Idem quosdam veluti gradus habet, quibus aegritudinem acerbat, atque exasperat. Nam dolor si animum tantum deiicit, tristitia dicitur; si premit, ac veluti suffocat, angor; si diuturnus est, maeror; si corpus etiam vexat, afflictio; si labiosus est, aerumna; si in una aliqua re permanet, molestia; si cogitatione vexat, solicitude; si vehementer vexat, cruciatus; si in eiulatus erumpit, lamentatio; si opem implorat, quiratio. Levandae tristitiae, dolorique leniendo aptiora remedia sunt quaesita deletratio, sapientum consuetudo, amici, litterae, caet. his autem validiora interdum sunt quae natura suppeditat, ut suspiria, gemitus, lamenta, fletus, remedia corporis, inter quae princeps somnus. Haec prothesium modulo de his affectionibus innuisse, sufficiat, quas boni, aut mali praesentis opinio creat, quae-

*Delectatio  
num causae*

*Tristitia,  
illiusque  
genera.*

*Remedia  
tristitiae.*

quaeque longiori oratione a nobis sciscitatis illustrabuntur.

*Spes.* XIV. Modò affectiones partis irascibilis adire, iuvat, quae veluti conatus sunt, quibus erigitur animus ad malum fugandum, superandumque, idque ex amore futuri boni. Prima spes est, qua appetitus fertur in bonum arduum, sed adeptu possibile. Haec difficultates, quae bonum circumstant, retunduntque appetitus aciem, debellat, ac prosternit. Causae: facultates, vires, incalescens cor, res crebrò, & auseplicatò tentata, aversa a periculis mens, inconsideratio, caet. Desperatio, affectionum omnium tēterrīma, oritur, dum laboribus, ac difficultatibus, quibus obfidetur bonum, fractus, obrutusque animus ab illius prosecutione recedit. Audacia passio est qua appetitus insurgit in malum terrorem incutiens. Spe foyetur, aliisque causis a nobis indigitandis. Verū germanae Christianaeque audaciae nobilior existit causa, confidentia Divinae opis, quām nos exinè postulemus, oportet. Audacia primo discriminis obtutu calorem, spiritusque ad cor cēu ad arcem revocat, mox validius erupturos. Inde audacibus inter ineundum pericula tremor. De his verò non pigebit fusiùs disputare.

*Audaciae causa.* XV. Metus demissio est animi propter exspectationem futuri boni. Si sit ob futuram poenam, timor est. Metus variarum animi perturbationum radix est, & scaturigo, quibus a labore, a gloriae, virtutisque tramite deterremur. Nam pigritia ab honesto labore nos avocat, desidia ab officiosa corporis functione, ignavia a praeclarè gestorum gloria, inertia ab apiscendis artibus. Segnities, & socordia naturae vitia sunt, non aegritudines. Sub metum centurianda etiam est verecundia, virtutum omnium custos integerrima, quae metus est incurendi eorum censuram, qui nobis

vel

vel aetatis, vel officii, vel dignitatis munere antecel-lunt. Id a pudore differt verecundia, quod pudor est admissi flagitii, verecundia reiecti. Unde pudor est metus ignominiae. Hunc rubor consequitur. In metu animi virtus introrsum fugiens, secum trahit spiritus, sanguinem, ac destituitur rubore cutis. Inde pallor; dein torpentibus retracto calore nervis, vacillat cor-pus, ac fluctuat, unde tremor. Tum spiritibus cutis destituta subsidet, nisi ubi pili radices agunt, atque ita nascitur asperitas, quam dixerit horrorem. In pu-dore sanguis vultum occupat, cui natura quasi vela-men obtendit, sub quo turpitudinis auctor delitescat. Accuratiūs in pugna huius ruboris causam detegemus. Ad haec metus ex incerta damni vel inferendi, vel illati repraesentatione suspicionem creat. A suspicione proclivis ad diffidentiam transitus. Est autem haec me-tus cum imbecilla fiducia. Pavor gravior est pertur-batio, menti concussum, & pulsationem inferens. For-mido aegritudo est terrori perquām affinis. Oritur ex inopinatae rei visione, quum nimirum vel deformis, vel tetrae alicuius speciei insolito obiectu percutimur, a *formis*, quo nomine intelligimus spectra, larvas, imagines, simulacra, nocturna obversacula, busto-rum formidamina, inferorum umbras, & alia id ge-nus terriculamenta. Sequitur conturbatio, qua adeo prosternuntur mentis nostrae facultates, & copiae, ut rationis inops inconsulta vagetur, ac fluctuet, unde excutit cogitata. Consternatio id differt a trepidatio-ne, quod haec corpus tantūm concutit, ac velut arie-tat, illa verò deiicit, deturbat, labefactat. Sed his, imò omnibus immitior exanimatio est, ad quam reli-quae velut gradus ad perniciem habentur. Est autem illa metus cum animi deliquio. Ea siquidem amittitur animi vis, qua intercepta, ac velut extincta, ruit cor-pus.

pus. Hae ferè sunt perturbationes , quibus e metu rerum humanarum obortis , aegrescitque animus. Superest Religio , qua metu tangimur rerum divinarum, quaeque si inanis est, qualis stoica , superstitione audit. Concipitur quum Dei indignatio timetur ob opus vel peractum , vel praetermissum neque ab illo iussum, neque prohibitum. Hactenus turbidos animi motus expsuimus , quos metus procreat , naturae quidem infensos , atque exitiales. Iccirco pro virili conandum ne metui facilis pateat aditus. Sed properemus ad metam.

Ira.

Causae  
iraee.

Effectus  
iraee.

XVI. Ira a Gregorio Nisseno *armigera concupiscentiae* dicta. Ciceroni est *inimicitia, ulciscendi tempus observans* Alii non unicam passionem , sed multarum plexum arbitrantur. Aristoteles eam enucleatiūs dixit *appetitum ultionis apertae cum fervore sanguinis circa cor*. Non una causa irae , sed princeps est parvipensio , cuius species extant ludibrium , incommodum , contumelia , despectus , quae ut parvipensionem augent , ita exacuunt iram. Huius varii sunt effectus, nam ea iucunditatem parit ob spem vindictae, excandescientiam quoque irae irritamentum , mentis caecitatem , taciturnitatem , caet. Hactenūs animi affectiones per summa , quod aiunt , capita attigimus, nam & scripti genus rem fusiori calamo persequi, non patitur , nobisque putidum visum est , Lectorem ad molestiae plus devorandum adigere. Reliquum erat ut ab eruditis quibusdam signa , & characteres morum, atque affectum heic expiscaremur , sed cum fallacia, incertissima sint tantùm non omnia ab eisdem commemorata , satius ea, putavimus, silentio premere, ne cui ex nostris occasio pateat vel de honestissimorum virorum moribus temerè coniectandi. Quae igitur pauca supersunt appingamus properè.

Vir.

XVII. Virtutis, qua nihil mortalium cognitione *Notio virtutis.*  
 dignius, nihil in vita optabilius, naturam non una definitione expressit Aristoteles. Modò illam nominat *Ultimum potentiae*, modò *dispositionem perfecti ad optimum*, modò *habitum rectum faciens & operantem*, & *opus*, interdum etiam *habitum eligendae mediocritatis*, *buiusque ex iudicio prudentis viri definienda*. Singulas explanabimus, non praetermissa ea quam ex Augustino deprompsit Schola. Ea est cuiusque virtutis indeoles, ut medium semper ambiat, a qua si semel deflexerit, actum est de natura virtutis. Adeo etiam sibi cognita est rectitudo ingeneranda moribus, ut nullus in eam irrepere valeat abusus. Indidit mortalibus prudens natura quedam virtutum semina, quae informatos habitus non erumpunt, donec iteratis actibus tenaci impressione figantur. Id quonam pacto eveniat, aperiemus. Cum virtus omnis morum rectrix habeatur, expultrixque vitiorum, ibi, unde eradicanda, evellendaque vitia sunt, locanda est, atque figenda. Triplex igitur virtuti sedes, intellectus, ut aiunt, practicus, appetitus rationalis, & sentiens, in quem cum rationis fulgor, tum libertas (sine queis virtus inane nomen) ab illis velut a fonte manant.

*Subiectum  
virtutis.*

XVIII. Ad virtutis divisionem quod attinet, nihil est cur a priscis sapientibus recedamus, qui virtutes quatuor praecipuas commemorarunt velut totidem cardines, quibus honesta vita versatur, Prudentiam nempe, Iustitiam, Fortitudinem, Temperantiam. Ad has tanquam ad capita numerosam virtutum sibolem retulit D. Thomas, qui cunctis in eo tractando argumento palmam praeripuit iudicio peritorum. Nos ergo qui summum in tanto Doctore firmamentum, summum in eius intelligentia ornamentum putamus,

*Divisio vir-  
tutis.*

id contendimus omni studio , ut doctrinam ab illo copiosè traditam , quoad Philosophicis licet , delibaramus. Igitur praeter unam , aut alteram vindicandam thesim in selectioribus quae mox subiicimus exponendis , amota omni altercandi libidine , periclitabimur , nihil curantes rabulas illos philosophatores , qui Ethicam Eristicam faciunt artem , vellentque nos perpetuis , & importunissimis implicatos litibus. Opus urgeamus.

*Prudentia*

XIX. Prudentia lux agendorum , caeterarumque virtutum princeps norma a Tullio dicta est *rerum expetendarum scientia*. Aptius eam dixit Aristoteles *rectam agendorum rationem*. Plura circa haec admonebimus cognitu dignissima. Solius prudentia est imperare , mediumque virtutibus aliis praestituere. Constat partibus quibusdam integrantibus , quas octo putat S. Thomas , cuiusmodi sunt *Ratio* , *Intellectus* , *Circumspectio* , *Providentia* , *Docilitas* , *Cautio* , *Memoria* , *Sollertia* , sive *Eustochia* . Quàm divitem , quàm sui similem in his videre licet , ac mirari S. Thomae mentem ! Egregiam illius doctrinam summatim cupienti dabimus. Prudentia altera monastica est , sive privata , altera moderatrix , qua regitur corpus politicum , seu ex plurium conventu constitutum. Dein in Oeconomicam scinditur , Militarem , Politicam , quarum ista in Monarchicam partitur , Aristocraticam , Democraticam , de quibus bene multa. Inserviunt præterea nonnullis prudentiae actibus Eubulia , Synesis , Gnome , quarum leges , ac prudentiae utilitatem paucis adnotabimus.

*Iustitia.*


XX. Iustitia rerum publicarum custos , perpetuumque humanae societatis vinculum , habitus est , secundum quem aliquis constanti , & perpetua voluntate ius suum unicuique tribuit. Duplex illi pars , declina-

nare a malo , & facere bonum. Species triplex, Commutativa , Distributiva , Legalis. Haec ulterius patet in Iustitiam strictè sumptam , & Epikēiam , de queis pollicemur , rogatos sermonem habituros. Heic vero aggredimur nobilissimam contentionem. Iudex ad allegata , quod aiunt , & probata sententiam iubetur exigere. Praeter haec Iustitiae adiungitur numerosus virtutum comitatus , nempe Religio , Observantia , Veracitas , Gratitudo , Iustitia vindicativa , Liberalitas , Amicitia. Heic nomenclatores tantùm agimus , studentes praescriptae brevitati , in agone Commentatorum partes sustinebimus.

**XXI.** Temperantia, humanae dignitatis supra pecudes vindex , scitè appellatur a Tullio *rationis in libertate*. *Temperantia.* *bidinem* , atque *alios non rectos impetus animi firma* , & *moderata dominatio*. Unde iure habetur noxiarum delectationum rigida propulsatrix. Verecundia , & honestas illius veluti integrantes partes numerantur : Species , Abstinentia , Sobrietas , Castitas , Pudicitia. Eadem adiunguntur opem laturalae Continentia , Mansuetudo , Modestia. Haec omnia quām prolixè tractari valent , quisque in nobis poterit experiri.

**XXII.** Fortitudo Heroum propria dos , reique publicae munimentum , fusè ex Sphaero , & Chrysippo laudatur a Cicerone. Nobis est Constitutio stabilis iudicii in rebus , quae formidolosae videntur subeundi , & repellendi. Duplex huius virtutis actus aggressi , & sustinere. Primus splendidior , admirabiliorque videtur ; alter vero ut difficilior , ita praestantior est. Fortitudini accedunt Magnanimitas , Magnificencia , Patientia , Perseverantia , quarum characteres , discrimina , atque cum aliis virtutibus concordiam designabimus. Mortem quemquam sibimet conciscere , immane facinus est , quod natura exhorret , quodque non

non fortitudini vertendum , sed vel ignaviae , vel furori. Nobis penè exciderat nobilissima quaestio. Scilicet virtutes quum adultae sunt , easque in animis radices agunt , ut ad prudentiam componant mores , nec turbidis cedant tentationum motibus , inseparabili vinculo nectuntur , secus dum tenerae sunt , vel infirmae. Ventum his ad positionum metam. Manum ergo de tabula. Siquid verò in eis peccatum fuit , ubi tu , Lector , notaveris censoria virgula , donabis eas postmodum vel Ferro , vel Vulcano.



Imprimantur.

*Dr. D. Bernardus a Ciria , & Sola , Vic. Gen.*

*Vt. D. Raymundus Beltran , Pro-Rector.*

Imprimatur.  
*Eulate , Reg.*

*Vt. Velasco , Cens. Reg.*



